MH
102
Ag6

MH
1.02
Aq6

HARVARD UNIVERSITY
ARNOLD ARBORETUM
PRESENTED BY CHARLES SPRAGUE SARGENT
1892

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dissertationemso1751agne

DISSERTATIONEM SOLEMNEM

DE

L A V R O

PRO OBTINENDA

DOCTRINAE SALVTARIS

LAVREA

AD D. IANVAR. cIↄ Iↄcc LI

IN ARENA PVBLICA

DEFENDET

MICH. GOTTLIEB AGNETHLER

EQVES TRANSILVANVS

PHILOS. MAGISTER.

DAPHNE

Fer pater, inquit, *opem, ſi flumina numen habetis,*
qua nimium placui, *tellus*, ait, *hiſce*, *vel iſtam*,
quae facit vt laedar, *mutando perde figuram!*

APOLLO

\- - *At quoniam coniux mea non potes eſſe*,
arbor eris certe, dixit, *mea. Semper habebunt*
te coma, *te citharae*, *te noſtrae*, *laure*, *pharetrae.*
Tu ducibus laetis aderis, *cum laeta triumphum*
vox canet, *et longas viſent Capitolia pompas.*

HALAE PROPTER SALAM

EX OFFICINA GEBAVERIANA.

a 1751

LINNAEVS de LAVRO.

Huic generi videtur conceſſiſſe natura triumphalem laurum inter omnes plantas; cum nullum vegetabile huic ſit aequiparandum, ſi aromati ſuauitas quibusuis modis expoſcatur.

ILLVSTRISSIMO
SPECTABILI GENEROSISSIMO
CONSVLTISSIMOQVE

VIRO AC DOMINO
MICHAELI CZECKELIO
DE ROSENFELD

AVGVSTISSIMAE ROMAN. IMPERATRICIS HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGINAE AC PRINCIPIS TRANSILVANIAE INTIMO EXCELSI REGII PER TRANSILVANIAM GVBERNII CONSILIARIO ACTVALI VT ET REGIAE LIBERAEQVE TRANSILVANORVM CIVITATIS METROPOLITANAE CIBINIENSIS PROCONSVLI PROVINCIALI
RELIQVA

HEROI TOGATO

DOMINO ATQVE MAECENATI SVO
LONGE INDVLGENTISSIMO

NEC NON

ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

ATQVE LONGE CELEBERRIMO

VIRO

ANDREAE ELIAE

BÜCHNERO

SACR. ROM. IMP. NOBILI

SERENISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS SALVTARIS DOCTRINAE ET PHILOS. NATVRALIS IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI COMITI PALATINO CAESAREO SOC. SCIENT. BEROLINENSIS SODALI

CAETERA

PRAECEPTORI PATRONO

PROMOTORI SVO

GRAVISSIMO

VT ET
ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO EXPERTISSIMO
AMPLISSIMOQVE

VIRO
CAROLO LINNAEO

SACR. REG. MAIEST. SVEC.

ARCHIATRO MEDICINAE ET BOTANICES PROFESSORI VPSALIENSI ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM SOCIETATIS SCIENT. BEROLINENSIS MONSPELIENSIS VPSALIENSIS STOCKHOLMIENSIS SODALI

RELIQVA

EXIMIO
SVECIAE SVAE ORNAMENTO
BOTANICORVM NOSTRI SAECVLI
PRINCIPI

TRIVMVIRIS

GENERIS SPLENDORE MVNERVM DIGNITATE

VIRTVTVM ATQVE MERITORVM GLORIA

FVLGENTISSIMIS

FORTVNAE SVAE STATORIBVS

AETERNO PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV

SVBMISSE COLENDIS

IMMARCESCIBILES

PERPETVAE FELICITATIS

LAVROS

PRECATVS

VOTIVA HAC TABVLA

IN GERMANIA LAVRO AFFIXA

OPELLAM

APOLLINIS DAPHNE INSIGNEM

DEVOTISSIMAE MENTIS

PIGNVS

CONSECRAT

MICHAEL GOTTLIEB AGNETHLER.

PRAEFAMEN.

Inaugurale ſpecimen medicum editurus, quum in quaerendo apto ad hanc rem argumento verſarer, primum plantas coronarias omnes ex *graecae romanae*que antiquitatis monumentis eruere decreueram. Quum vero me ad conquirendas eo ſpectantes plantas accingo, mox ſimul talem paullo curatius elaboratam commentationem magis ſpiſſi voluminis, quam ſolitam diſſertationis molem requirere animadverto. Haec vbi penſito, de inſignioribus ſaltem atque praeſertim apud *Romanos* celebrioribus coronariarum plantarum generibus qualemcunque edere ſuſcipio exercitationem. Dum autem in hoc pariter ſtadio feliciter omnes fere emenſus labores adhuc deſudo; eaedem ferme denuo ab hoc quoque propoſito me deterrent difficultates. Tandemque ea nobis arriſit arbor, quam et medicina et veneranda tantopere commendat antiquitas. Ne vero ab aliis iam ad vmbilicum perducta denuo agerem, atque ſiluis ligna inducere viderer; mox ſedulo perquirere inſtituo, vtrum ante nos aliquis in tam nobili argumento iam ſuam exercuerit mineruam. Primum itaque celeb. LINNAEI a nobis haud ita pridem vna cum aliis in his oris rarioribus eximii botanici operibus denuo typis man-

datam euoluo *Bibliothecam Botanicam*, in qua quidem inter alia haec lego momenta [a]): *Diſputatores in Germania plurimi prodiere, ſed dolendum, quod quoad maximam partem a Praeſidibus, vt ibi mos eſt, compilatae ſint, hinc deſideratur ſaepius iuſtum examen ſubiecti, quod plures horas poſcit.* In monographorum autem obſeruationi huic partim praemiſſo partim vero ſubiuncto indice nullum deprehendo, qui de toto lauri genere, vel ſaltem de dioecia huius generis ſpecie, cum eruditis aliquam communicauerit commentationem. Perluſtrata LINNAEI bibliotheca confero me pariter ad recentiſſimam IO. FRANCISCI SEGVIERII *Bibliothecam Botanicam*, qua ſibi ipſi adeo placet auctor inſignis, vt eundem ſolum ad corradendos atque in alphabeticum ordinem redigendos omnium operum botanicorum titulos longe aptiſſimum, immo, quod mireris, in re herbaria ſeuerum admodum cenſorem iudicares. Quum enim in praefatione modo excitato codice praemiſſa, multa de eximiis ſuis in rem botanicam meritis lectoribus hilare inculcaſſet, *Tournefortianam*que methodum palam caeteris omnibus antepoſuiſſet; mox altercandi libidine occaecatus homo LINNAEVM laceſſit, eiusque ſupra laudatam bibliothecam botanicam adhibita cenſoria virgula ſubinde paullo grauius perſtringit. Interim, vt reliqua ſilentio praeteream, magnopere mirari ſubit, qua potiſſimum fronte, quasdam tam inconſiderate typis publicis mandare potuerit hallucinationes, quarum vnam ſaltem ſpeciminis loco hic ſubiungere lubet. Enimuero SEGVIERIVS [b]) de LINNAEO inter alia: *Gregorio a Turre*, inquit, *Profeſſori Patauino Hiſtoriam plantarum Pataùii editam an. 1635 tribuit, et rariſſimam eſſe annotat: rarior equidem eſſe nequit, cum ille nullam hoc titulo compoſuerit Hiſtoriam*, caetera. Atque ita vanus ineptit SEGVIERIVS; dumque LINNAEO, qui tamen ingenue fatetur, ſibi eo tempore, quo ſua in publicum prodiret bibliotheca, nondum rariſſimum hunc obuium fuiſſe auctorem, minutiſſimi atque facillime excuſandi typothetarum vitii cauſſa ſubiraſcitur, mox binos paullo craſſiores iniquus cenſor committit errores. Non ſolum enim, vt mox luculentius apparebit, LINNAEVM perperam vitii cuiusdam inſimulat, verum inſuper *Georgium a Turre* oſcitanter ſatis *Gregorium* appellat. Etenim praeter alios inſigniores, qui experientiſſimi viri, CHRISTOPH. CAROLI STRVMPFFII, ampliſſimam bibliothecam botanicam, haud pro facultatum modulo, verum pro ſingulari ſuo in rem herbariam feruore inſtructam, exornant codices, etiam raritate conſpicuum, de quo hoc loco

a) pag. 41.
b) In praefat. ad pag. 10.

co ambigitur, volumen aſſeruatur, cui non ſolum ſequentem praefixum lego titulum: *Georgii a Turre hiſtoria plantarum*, verum etiam ſingulas totius voluminis paginas haec exornat inſcriptio: *Georgii a Turre de hiſtoria plantarum lib. I* aut *lib. II.* Quae cum ita ſe habeant, retorſionis profecto iure magis in SEGVIERIVM ſingula quadrant, quae de LINNAEO noſtro perperam atque intempeſtiue ſparſit figmenta: aſt meliora forte, vt alicubi illuſtris HALLERVS appoſite de SIEGESBECKIO iudicat, ſcripſiſſet, niſi iracundiae, quae *Tullio* leuis et infirmi animi dicitur vitium, nimium indulſiſſet. Itaque non certe video, quare SEGVIERIVS vnius a typographo procul omni dubio commiſſi erroris cauſſa exprobret LINNAEO, praeſertim quum *ſeguieriana* bibliotheca botanica tot tantisque referta ſit mendis, vt ab illuſtri de HALLER haud ſimplici digna iudicata fuerit reprehenſione, qui ſequenti eandem inſigniuit encomio [c]): *Iudiciorum nihil, et in ſeptentrionalibus nominibus non rara menda.* Vtinam autem SEGVIERIVS, neglecto illo vulgari ordine alphabetico, LINNAEI magis naturalem in conſcribendo ſaepius excitato opere ſequutus eſſet methodum; numquam profecto tam indigeſtam molem obtruſiſſet botanicis. Ne vero in opellae huius limine magis culpandis *ſeguerianis* erroribus, quam elaborando ad hanc commentationem prooemio vacaſſe videar; ea propter vel vno ſaltem verbo profiteor, me neque in hac tantopere ab auctore ſuo commendata bibliotheca botanica quendam, qui de pertractanda dioecia lauri ſpecie ante nos ſollicitus fuerit, indagare potuiſſe auctorem. De reliquo me quidem haud fugit, nobiliſſimum *Lubecenſium* medicum, IO. GERARDVM WAGNERVM, iam ante tria, et quod excurrit, luſtra elegantem ſane de lauro ex omni antiquitate eruta *Helmſtadii* diuulgaſſe commentationem; imo ex IO. FRIDERICI HEKELII ad *Auſonii Popmae* recentiorem editionem prooemio didici, eundem pariter de lauru olim quandam typis mandaſſe diſſertationem. Quoniam vero haec, quam in variis publicis atque priuatis bibliothecis fruſtra requiſiuimus, nomine ſolummodo nobis nota eſt diſſertatio, ab auctore non medico elaborata, ſed triuialium ſcholarum directore in puluere ſcholaſtico prognata, vnde vix ac ne vix quidem aliquis medicam, tanto minus hodierno genio accommodatam facile expectabit commentationem de lauro botanicam. In inſigni vero illo *wagneriano* ſpecimine ipſe eleganter doctus auctor inter alia [d]): *Non pauca*, inquit, *e re botanica recentiori monenda venirent. Verum quod hoc loco ex anti-*

 quitate

c) In nomin. ſcriptor. Enumerationi ſtirp. Heluet. praemiſſis p. 30.
d) Lib. 2 ſect. 1 c. 1 §. 19 p. 141 circa finem.

quitate ſolum noſtram laurum eruere conſtituimus, hoc labore nos ſuperſedere non immerito nobis videmur. Quum itaque neuter horum botanicam de lauro edere in animo habuerit diſſertationem, verum vterque ſaltem in perquirendis lauri cauſſa veterum monimentis ſubſtiterit; hinc neuter etiam noſtrum laurum botanice conſiderandi facile remorabitur ſtudium. Enimuero inceptam immo fere ad vmbilicum perductam qualemcunque ſingularum a LINNAEO eumque ſequutis recentioribus botanicis ad lauri genus relatarum ſpecierum tractationem nec prorſus abſoluere licuit, neque his pagellis inſerere libuit; quapropter vnam ſolem eamque *Europae* indigenam lauri ſpeciem, quam TOVRNEFORTII laurum appellant botanici, hic pro virili illuſtratam, nunc publico eruditorum examini ſubiicimus. Reliquarum exoticarum ſpecierum explanationem in alium locum differre variae eaeque ſatis praegnantes iubent cauſſae, praeſertim vero huius diſſertationis elaborationi deſtinati temporis anguſtiae. Etenim a longo ſatis tempore reditum ad patrios lares multifariis ad hunc vsque diem laboribus praepeditum paro. Priusquam autem pro abſoluendo tam longo tamque difficili itinere colligendis reculis vacare licet, varia adhuc, propediem lucem publicam viſura, partim elaboranda, partim ſaltem expolienda nobis veniunt opuſcula. Quodſi tamen noſtros hos qualescumque conatus botanicos aequis rerum arbitris non prorſus ingratos fuiſſe cognouero, poſthac reliquis pariter lauri ſpeciebus me ſimilem operam praeſtiturum pollicebor.

NOMINA.

NOMINA, quae apud varios, potiſſimum autem cultioris *Europae*, populos laurus ſortita eſt, indagauimus ſequentia.

Anglis Laurel ſ. Baytree. *Arabibus* رَنْد ſ. غَار. *Belgis* Laurusboom. ſ. Lauwrierboom. *Bohemis* Bobeck. *Danis* Laurbärträ. *Gallis* Laurier. *Germanis* Lorberbaum. *Graecis* Δάφνη. *Hebraeis* אזרח. *Hiſpanis* Laurel. *Hungaris* Boroſtyán-fa. *Iaponenſibus* Tſus. *Italis* Lauro. *Latinis* Laurus. *Lituanis* Lauras. *Luſitanis* Laureiro. *Perſis* دهمشت ſ. دهمشت ſ. غار. *Saxonibus in Tranſiluania* LÜRBERBVM. *Suecis* Lager.

OBSERVATIO.

I. Ad vexatiſſimam illam quaeſtionem, vtrum aliquod *hebraicum* lauri nomen in ſacris litteris occurrat, quidam affirmatiue, alii dubitatiue, immo nonnulli plane negatiue reſponderunt diuinorum oraculorum interpretes. Ex varia autem interpretatione rarioris illius phraſeos כאזרח רענן, quae, quia non niſi PSALMO XXXVII. verſ. 35 legitur, iam pridem criticis ſacris crucem fixit, diuerſae hae originem trahunt ſententiae. Enimvero אֶזְרָח deſcendit a rad. זרח, quae proprie *ſplenduit, emicuit, ortus eſt* lexicographis ſignificat. Quoniam autem *viror plantae* non ſaltem apud *Graecos* atque *Latinos*, verum etiam apud *Arabes*, potiſſimum autem *Hebraeos* paſſim *ſplendoris* nomine venit, atque ita haud raro verba ſplendendi ad virorem referri ſolent, quae omnia celeb. *Halenſium* philologus, IO. SIMONIS *e*), plurimis egregie illuſtrauit exemplis; hinc forte, a *perpetuo* ſcilicet *ſplendore*, h. e. *virore*, *laurus Hebraeis* אֶזְרָח dicta videri poſſet. Quapropter non tantum omnia lexica *hebraica* ſub vocabulo אזרח *laurum* intelligunt; ſed ipſi pariter *Hebraei* recentiores, quos PAGNINVS, VATABLVS, LVTHERVS, aliique, ſequuntur, eandem hanc vocem de lauro interpretandam eſſe ſuadent. Alii ſaepius excitatam, atque non niſi ſemel in ſacro codice obuiam hanc phraſin, generaliori notione contenti, *arborem indigenam*, in natiuo ſolo ortam, atque non aliunde transplantatam reddiderunt. Vtramque hanc ſententiam in dubium vocare haud ita pridem viſum fuit nouiſſimo plantarum ſacrae ſcripturae interpreti, celeb. OLAVO CELSIO *f*), famigeratiſſimo *Vpſalienſium* theologo, qui in ſupra allegato *Dauidis* loco ſub voce אזרח nec generatim arborem indigenam, nec nominatim laurum, nec denique aliam certam arboris in *Palaeſtina* indigenae ſpeciem intelligendam eſſe autumat. Etiamſi autem vir ſumme venerandus, a quo me diſſentire palam profiteor, eos, qui controuerſam hanc vocem potius de arbore, quam homine indigena interpretantur, coeco illi ſimiles exiſtimet, qui MARC. VIII viſu nondum plene recepto, τὰς ἀνθρώπους ὅτι ὡς δένδρα videbat; tamen diffiteri nec poſſum, nec volo, mihi quidem ea haud ſatis ſolida apparere argumenta, quibus et aliorum ſententias infringere, et ſuam opinionem ſuperſtruere annifus eſt magni nominis theologus, atque celebris ſaeculi noſtri botanicus. Palmariae autem obiectioni, qua VIR SVMME VENERANDVS אזרח *Hebraeis* vix arborem ſignificare adſtruere conatur, in primis *ſchultenſiana* quaedam reſpondet obſeruatio, quam variis elegantioris doctrinae virtutumque decoribus ornatiſſimus quidam conterraneus ac ſingularis noſter amicus, quondam *Lugduni Batauorum* ex ore celeb. SCHVLTENSII ſui calamo exceptam, liberaliter nobiſcum communicauit. *Contentus*, celeb. SCHVLTENS inter alia in excitata ad eandem hanc phraſin controuerſam obſervatione inquit, *tantiſper ero notione generaliore* fruticis *ſeu* arbuſculi, *quam adiectum epitheton* רענן *neceſſario exigit, quippe quod in ſacra ſcriptura ſemper de arboribus adhibetur.* Haec ſi vera ſunt, certe אזרח proprie haud hominem, verum arborem indigenam deſignabit. Quoniam porro DIONYS. LAMBINVS *g*) obſeruauit lauros non numerari in arboribus vmbriferis, neque vel ramos habere ita explicatos, vel frondes ita denſas, vt earum vmbra ſolis ardorem arcere poſſit; hinc celeb. CELSIVS: *Quodſi igitur*, inquit, אזרח *arborem eſſe velis, non certe laurum, ſed aliam fingas neceſſe eſt, quae in Iudaea frequens fuerit, et altitudine, frondiumque vmbra, atque amoenitate praecelluerit caeteris.* Hanc pariter celeb. viri ſententiam ſuadente in primis PLINIO *h*) atque BELLONIO *i*), quorum ille enormes lauro tribuit vmbras, hic vero in monte *Atho*

A 3 ſatis

e) In Arcano Formar. Nominum Hebraeae linguae part. 1 pag. 552.
f) In Hierobotanico part. 1 pag. 194 ſeqq.
g) Ad Horat. Carm. lib 2. od. 15.
h) Nat. hiſt. lib. 17. edit. Harduin. tom. 2 p. 62.
i) Obſeruat. lib. 1 cap. 43 p. m. 43.

ſatis ingentes et praealtas laurus ſponte naſcentes, atque ſolis aeſtum perpetuo reprimentes, ſe deprehendiſſe commemorat, paullulum limitandum eſſe arbitror. Si itaque ſupra allatae celeb. SCHVLTENSII obſeruationi fides habenda, adeoque אזרח neceſſario plantarum quandam ſpeciem denotare debet; quodſi porro in *Palaeſtina* pariter tales ſponte proueniunt lauri, quales in monte *Atho* obſeruauit BELLONIVS, quod tamen nondum, quamuis nuperrime, niſi me omnia fallunt, ab illuſtri *Batauo*, VAN DER MIEDEN, cui non ſaltem in *Graeciae* antiquae, verum etiam *Syriae, Palaeſtinae*que tractus excurrere ibidemque paullo diutius commorari licuit, mihi ſimile quid relatum ſit, aſſeuerare auſim: non certe video, quare tantopere olim honorata arbor in ſacris litteris non pariter potentum, atque omnigena felicitate florentum hominum commode ſatis eſſe potuerit ſymbolum. Tandem ad firmius ſtabiliendam ſuam ſententiam, quod nimirum אזרח non laurum, ſed virum vel hominem indigenam ſignificet, celeb. CELSIVS ad alia ab *Hebraeis* lauro impoſita nomina prouocat. *At laurum,* VIR SVMME VENERANDVS inquit, *Ebraei aliis nominibus appellant.* Si itaque h. l. vir celeberrimus, quod nobis quidem videtur, contendit, *Hebraeis*, praeter אזרח, alia olim fuiſſe vocabula, quae laurum deſignent; fallitur profecto longiſſime, quod euoluentibus lexica oppido ſatis clare adparebit. Immo nec de *Hebraeis* recentioribus, *Talmudicis* ſcilicet et *Rabbinis* tale quid commode ſatis dici poteſt. Hi equidem nomina quaedam habent, quibus laurum exprimunt, ſed, vt plurima alia in *Talmude*, ex aliis linguis petita. Talia ſunt 1) דַּפְנֵי, quod eſt ipſum *graecum* δάφνη. 2) עָרוֹן et אָרוֹן, quod procul omni dubio eſt *Arab.* غَارٌ; pro quo pariter dicunt 3) עָרָא, cum terminatione *chaldaica.* Tantum itaque abeſt, vt haec ex lingua *hebraica* petita ſint vocabula, vt potius, quodſi quidem אזרח non laurum verum aliam plantarum in *Palaeſtina* indigenarum ſpeciem denotare debet, hinc tuto concludi poſſit, quod nec in ſacro codice, nec in aliis *Iudaeorum* ſcriptis, origine *hebraicum* lauri occurrat nomen. Quae ſi extra omnem dubitationis aleam poſita eſſent, ego quidem de Lauro olim indigena *Iudaeae* planta ſubdubitarem: praeſertim ſi praeter SHAWIVM *k*) aliosque a LINNAEO *l*) excitatos, quos euolui, plures *Orientis* et praeſertim *Syriae Palaeſtinae*que pariter de lauro pertinacius ſilerent peregrinatores.

2. *Aethiopes* voce, laurum denotante, deſtituuntur, certe IOBVS LVDOLFVS in lexico *aethiopico* nihil eiusmodi adducit: quod indicio eſſe videri queat, arborem hanc in *Aethiopia* quoque prorſus eſſe ignotam.

ETYMOLOGIA.

Ad *graecam* atque *latinam Apollini* dicatae arboris denominationem quod adtinet, *Graeci* quidem a *Daphne Ladonis* fluuii filia deorum miſeratione, vt inſequentis *Apollinis* vim effugeret, in hanc arborem commutata, ſuam deriuant Δάφνην; nobis tamen eorum magis arridet ſententia, qui *graecam* hanc vocem a δαίω, *uro* et φωνέω, *ſonum edo*, quippe quoniam igni iniecta ſonet atque accenſa crepitet laurus, deſumtam exiſtimant: vnde pariter *Theocrito* μεγάλως ἐμπυρίσασα, *valde ſtrepitat ſeu ſonat inflammata*; immo

k) Voyages dans pluſieurs Prouinces de la Barbarie et du Levant.
l) Biblioth. Botan. edit. noſtrae p. 90.

mo Δάφνη etiam ETYMOLOGO quaſi δαφώνη dicitur, quod etymon neque VOSSIVS improbat. *Latina* autem *lauri* denominatio MATTH. MARTINIO [m]) aliisque a *lauo* id eſt, purgo, deducta videtur; quod nimirum ſingulari vi ad purgandum ſanguinem polleat. LIL. GREGOR GYRALDVS [n]) autem: *A δα, inquit, et φωνέω, fortaſſe et ipſi nos latini laurum deduximus, a λα, vt δα, particula intenſiua, et vro; vt, ſi non voce, at ſignificatu conueniat.* Rectius forſan, vt iam pridem clar. IO. GERARDVS WAGNER [o]) quoque obſeruauit, a *laude Apollini* ſacrae arboris deriuanda venit denominatio. ISIDORVS [p]) enim: *Laurus*, inquit, *a verbo laudis dicta. Hac enim cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos autem laudea nominabatur, poſtea d littera ſublata, et ſubrogata r, dicta eſt laurus: vt in auriculis, quae initio audiculae dictae ſunt, et medidies, quae nunc meridies.* Sed haec de etymologia lauri, cuius nomen atque culturam procul dubio *Germanos* olim docuerunt *Romani*, dicta ſufficiant. Plura hac de re ſcire geſtientes euoluant etymologos, qui quemque opinionibus ſuis explebunt.

SPECIES.

SEPTEM lauri SPECIES Botanicorum detexit ſolertia, quarum

PRIMA.

Laurus foliis lanceolatis, venoſis, perennantibus; corollis quadrifidis dioicis

ſtaminea.	*piſtillata.*
LINN. *hort. cliff.* 155.	LINN. *hort. cliff.* 155.
ROYEN. *flor. leydenſ.* 226.	ROYEN. *flor. leydenſ.* 226.
WACHENDORFF *hort. vltrai.* 259.	WACHENDORFF *hort. vltrai.* 259.
LINN. *mat. med. lib.* I. 65.	LINN. *hort. vpſal.* 98.

I. SYNONIMA.

Laurus vulgaris, quae floret tantum. C. B. P. 461.	Laurus vulgaris (quae fructum fert). C. B. P. 460. BOERH. *ind. alter pl. hort. lugdb.* 2. p. 216.

Lau-

m) In lexico philolog. ad vocem *Laurus.* LOMEIER de vet. gentil. luſtrat. p. 252.
n) Hiſt. poetar. dialog. II.
o) In prolegom. ad laurum ex omni antiquitate erutam.
p) Originum lib. 17. c. 7.

Laurus, quae floret tantum. CAESALP. *ſyſt.* 52.

Laurus baccalis. CAESALP *ſyſt.* 52
Laurus. IO. BAVH. *hiſt. tom.* I. p. 409. DODON. pempt. 849. DALECH. *hiſt.* 351.

OBSERVATIO.

Nolo in percenſendis diuerſis phytologorum eidem huic ſpeciei impoſitis nominibus h. l. plura cumulare documenta: reliqua ex aliis hic neglectis ſcriptis botanicis euolui poſſunt ſynonima; praeſertim vero in allegato CASP. BAVHINI Pinace, cui expoliendo atque continuando eheu! duo magni nominis immortui ſunt botanici, SHERARDVS et DILLENIVS. Atque vtinam auctior ac limatior, in primis vero adiectis auctorum citationibus condecorata, vno verbo, qualem illuſtris de HALLER atque celeb. LINNAEVS exoptant, libri huius editio tandem aliquando carceres, quibus adhuc dum incluſa tenetur, perrumperet, eodemque habitu vtilitati publicae ſeſe ſiſteret, cui adaptando ſaltem LINNAEI atque HALLERI pares ſunt. Simile quidem aliquid ab ARTHVRO CONRADO ERNSTINGIO *q*) iam tentatum legimus, ſed huic bono viro eique ſimilibus, ne ferendo tam arduo oneri ſuccumbant, tempeſtiue illud LINNAEANVM *r*) acclamandum eſſe exiſtimo: *Emendent, augeant, perficiant, qui poſſunt: deſiſtant, qui impares ſunt; qui valent, Botanici ſunt eximii.*

II. DESCRIPTIO.

Dioecia haec Lauri ſpecies ſequentem qualemcunque poſtulat deſcriptionem.

RADIX lignoſa, perennis, fibroſa, ramoſa, varie diſtributa.

CAVLIS ſimplex, ferme enodis, humanae raro apud nos *altitudinis*, *craſſitie* vero ſumma brachium excedens, multis plerumque ſtolonibus luxuriat; *cortice* cinereo, tenui, ſcabro; *ligni* ſubſtantia poroſa, debili: CVLMVS ramoſus, *ramis* alternatim ſparſis, aſcendentibus, viridibus vel atrorubentibus, glabris, teretibus, foliatis.

FOLIA ſimplicia, ſemper virentia, parum ſucculenta, dura, polita, odoratiſſima, nitida, margine vndulato, vel integerrrimo, lanceolata, venoſa, acuminata, mucrone alias acutiore, alias obtuſiore, ſesquiunciam aut duos pollices lata, palmo longiora, verſus mucronem et petiolum paullatim anguſtiora, breuibus petiolis adhaerentia, non decidua, quae ſecundum longitudinem percurrit coſta recta, obliquos in margines nullo oridne neruos exporrigens.

FLO-

q) In praef. ad prima principia botanica.

r) Claſſ. plant. p. 487.

FLORES e luteoalbicantes, in alis foliorum conglomerati, atque in gemma bifolia, decidua, contenti, ſtaminei et piſtillati in duplici planta, Martio et Aprili protruduntur.

CALIX nullus, niſi cum MAGNOLIO gemmam bifoliam cito deciduam, aut cum LINNAEO corollam calicem dicere velis.

COROLLA monopetala, quatuor, vel pluribus laciniis profundioribus, ouato-acuminatis, concauis, erectis, conſpicua.

STAMINEVS FLOS filamenta octo, nouem, plura, corolla breuiora, compreſſa, obtuſa. *Antherae* margini filamentorum ſuperne vtrinque adnatae.

PISTILLATVS FLOS, piſtillum acuminatum, *ſtigma* obtuſum, *germen* ſubouatum, quod mutatur in

BACCAM ouato-acuminatam, colore primum viridi, vbi autem ſub autumnis finem maturuerit, nigram, tota hyeme, niſi decerpatur, in arbore haerentem, quae ſub cortice exteriori, duro, tenui, vnicapſularem continet teſtam, nucleum bifidum, e rufo ſubnigricantem, ſeu veluti aduſtum, calloſum ac durum, ſaporis acris, amari, aromatici, oleoſi, odoris non ingrati, claudentem.

OBSERVATIO.

Rarius occurrere lauri feminam, quam marem, iam pridem obſeruauit RVELLIVS *s*), quod pariter expertus eſt LINNAEVS *t*), qui commemorat, ſe ſpeciei huius feminas, nec vnquam in hortis *belgicis* obſeruaſſe, nec examinaſſe, hinc vtrum hermaphrodita femina, an pura femina dicenda ſit, ſe neſcire ingenue fatetur. Baccas equidem lauro adhaerentes in hortulo Halenſium Botanici, experientiſſimi D. STRVMPFFII noſtri, ſubinde me vidiſſe recordor; flores vero femininos pariter haud oculis vſurpare, nedum explorare, nobis vnquam licuit. Quapropter quoque praemiſſam huius ſpeciei deſcriptionem haud omnibus numeris abſolutam eſſe auguror, ſaltem vero talem, qualem ab homine librorum quidem apparatu ſane egregio inſtructo, horto autem botanico adeo deſtituto, vt vix ac ne vix quidem quasdam lauri varietates botanico examini ſubiicere valeas, facile poſtulare aut expectare poſſis. Atque vtinam tandem aliquando etiam alma mater Fridericiana pridem ſumme neceſſario ac ſplendori ſuo ſic ſatis digno exornetur celebreturque horto botanico! quo non ſaltem ad plantarum indigenarum, verum etiam exoticarum cognitionem penitius adquirendam, resque herbarias feliciori cum ſucceſſu intelligendas, in primis Hygeae ſacris litantibus demum aperiatur via, neque ad minimum quidquid ad percolendam materiam medicam pertinet, facultas cognoſcendi diutius inuidatur. Gloriantur alii, quos earum deliciarum fere premunt faſtidia, quarum fame ſummaque inopia inuiti colluctamur, praeſertim autem *Itali*, *Galli*, *Belgae*, *Sueci*, de praeſtantioribus ſuis hortis botanicis; minus vero in nos adhucdum, quod maximopere dolendum! quadrare vllo modo poſſunt ea, quae LINNAEVS *u*) et de aliis hortis medicis, et in primis de horto ſuo *vpſalienſi* hilare proloquitur, dum: *Nunc igitur*, inquit, *ſtudioſo botanices integrum eſt in vno quodam academico horto ſine diſpendio temporis, ſine ſumtu, ſine*

s) De nat. ſtirp. lib. I p. 182. *t*) Hort. cliff. 155. *u*) Amoenit. acad. p. 157.

ſine taedio itineris longioris plures plantarum ſpecies oculis ſubiicere, quam aut Cluſius aut Burſerus oculis vſurparunt olim, aut qui oras vtriusque Indiae aut Africae ea de cauſſa attigerunt. Praeterea longe profecto veriſſima ſunt omnia, quae eximius idem ille alibi *x*) inculcat botanicus, vbi: *Difficillimam*, ait, *dixi Botanicen, ad exotica quae ſpectat praecipue, immo et pretioſiſſimam, cum non omnis ferat omnia tellus, cum innumerae iſtae plantarum familiae per totum diſtributae ſint orbem. Vltimos excurrere ad Indos; nouum orbem intrare; caput ferire vltimae terrae; inocciduum adſpicere ſolem non vnius botanici eſt vitae, nec crumenae, viresque inter cepta cadent. Botanico neceſſaria ſunt commercia, per totum orbem; bibliotheca fere omnium librorum, de plantis editorum; horti, hybernacula, hypocauſta, hortulani; immo aſſidua cura, aſſiduus labor, indefeſſa diligentia; iis non omnium ſufficiunt domeſticae res et quibus melior conceſſa erat fortuna, ex his perpauci in plantis ſuas quaeſiuere delicias.*

III. VARIETATES.

α. Laurus vulgaris, *mas.* BOERH. *index pl. hort. lugdb.* 249. EIVSD. *ind. alter pl. parte* 2. *pag.* 216. TOVRNEF. *inſt. rei herb.* 597. LINN. *hort cliff.* 155. GEOFFROY *mat. med. tom.* 3. p. 695.

β. Laurus latifolia, *mas.* BOERH. *ind. pl. hort. lugdb.* 248. EIVSD. *ind. alt. pl. p.* 2. *p.* 215. TOVRNEF. 597. LINN. *hort. cliff.* 155. GEOFFROY *mat. med. tom.* 3. *p.* 695.

γ. Laurus tenuifolia, *mas.* BOERH. *ind. alt. pl. p.* 2 *p.* 216. LINN. *hort. cliff. loc. cit.*

δ. Laurus vulgaris, folio elegantisſime variegato, *mas.* BOERH. *loc. cit.* LINN. *hort. cliff l. c.*

ε. Laurus vulgaris, folio vndulato, *mas.* BOERH. *et* LINN. *ibid.*

α. Laurus vulgaris, *femina.* BOERH. *ind pl. hort. lugdb.* 249. EIVSD. *ind. alter pl. p.* 2. *p.* 216. TOVRNEF. *inſt. rei herb.* 597. LINN. *hort. cliff.* 155. GEOFFROY *mat. med.* tom. 3. p. 695.

β. Laurus latifolia, *femina.* BOERH. *ind. pl. hort. lugdb.* 249. EIVSD. *ind. alt. pl. p.* 2 *p.* 216. TOVRNEF. 597. LINN. *hort. cliff.* 155. GEOFFROY *mat. med. tom.* 3. *p.* 695.

γ. Laurus tenuifolia, *femina.* BOERH. *ind. pl. p.* 2. *p.* 216. LINN. *hort. cliff. loc. cit.*

δ. Laurus vulgaris, folio elegantisſime variegato, *femina.* LINN. *hort. cliff. l. c.*

ε. Laurus vulgaris, folio vndulato, *femina.* BOERH. *et* LINN. *ibid.*

Laurus triumphalis. CAESALP. *ſyſt.* 52. C. B. P. 460. LINN. *ib.*

OBSERVATIO.

MATTHIOLVS *y*) perperam ex foliorum lauri differentia marem a femina diſtinguendam eſſe ſibi aliisque perſuadere voluit, quod haud dubie C. B. iam notauerat vitium, vbi ſcriberet *z*): *Laurus alia eſt latifolia, alia tenuifolia: ſic vtraque mas, vel*

x) In dedicat. ad hort. cliff.

y) In commentario ad Dioſcor. lib. I edit. C. B. 126.

z) In obſeruat. ad excitat. comment. Matthioli locum.

vel femina, eo quod alia ſit ſine fructu, alia vero baccifera. TOVRNEFORTIVS vero loco paſſim excitato pleraſque hic depromtas varietates appellat ſpecies. Quoniam autem, vt alibi, ita et in hoc genere, haud ſatis prouide varietates a ſpeciebus diſtinxit vir alias de re botanica inſigniter meritus; prono certe fluit alueo, quem pridem ſummi duumuiri celeb. LINNAEVS *a*) et ill. HALLERVS *b*) probe obſeruarunt, eundem hic pariter inconſiderate admiſſum eſſe errorem botanicum.

IV. ICON.

Varias equidem haud pauci vel ligno vel aeri inciſas prioris huius praeſertim ſpeciei ſcriptis ſuis inſeruerunt figuras, quarum vero quaedam tam miſere elaboratae ſpectatorum oculis ſeſe ſiſtunt, vt potius inſigne rudioris Mineruae ſpecimen, quam lauri vmbram, nedum accuratam lauri delineationem repraeſentare videantur. In tantum certe a lauro TRAGI *c*), atque CORDI *d*) icones differunt, vt plane pro monſtroſis haberi mereantur. Paullo propius ad ſimilitudinis metam accedunt LONICERVS *e*), atque IONTONVS *f*). Quodammodo commodae videntur LOBELII *g*) et DODONAEI *h*) figurae, quae tamen, ſi dicendum quod res eſt, pro vna ſaltem icone habendae ſunt. Communis enim, ſicut pariter ill. HALLERVS monet, DODONAEI, et LOBELII bibliopola horum virorum iconibus, tanquam ſuis vtebatur. MATTHIOLVS *i*) et DALECHAMPIVS *k*) fere eandem, haud vero contemnendam, ſiſtunt lauri delineationem. CAMERARIVS *l*), procul dubio ex iconibus *geſnerianis*, ſatis bonam dedit iconem; quam in arctius ſaltem ſpacium redactam atque paullo rudius effictam, denuo lectorum oculis ſubiiciunt IO. BAVH. *m*) atque CHABRAEVS *n*), quorum ille apud AMATVM pro lauro male poſitam eſſe hypogloſſi imaginem obſeruat. THEODORVS, vulgo TABERNAEMONTANVS *o*), pleraſque primae huius ſpeciei corraſit varietates, quarum duas C. B. *p*) ſuo Matthiolo inſeruit. In WEINMANNI Phytanthozaiconographia quorundam ſic ſatis bene varietatum ramuli, et quidem coloribus viuis, adumbrantur; diſſimulare tamen nec poſſum, nec volo, ex mea quidem ſententia, magnifici huius operis icones nondum nitidiſſimis pariter ac longe accuratiſſimis ROLLINI

a) Claſſ. plant. 329. *b*) Enumerat. ſtirp. Heluet. praemiſſa nomina ſcriptor. 24. 25. *c*) Kreuterbuch p. 378. *d*) Annot. in Dioſc. edit. Francof. p. 48. *e*) Kräuterbuch edit. nouiſſ. p. 70. *f*) Dendrogr. tab. 67. *g*) Noua ſtirp. aduerſ. p. 468. *h*) Pempt. 849. *i*) Comment. in Dioſc. lib. 1 c. 90 p. m. 97. *k*) Hiſt. pl. lib. 3 c. 22. p. 351. *l*) Epit. p. 60. Matthioli Kräuterbuch ex edit. Cam. p. 34. *m*) Hiſt. pl. lib. 4 c. 1 p. 409 et 412. *n*) Stirp. icon. et ſciagr. cl. 4 p. 31. *o*) Edit. nouiſſ. p. 1361 ſq. *p*) Matth. opera omnia ex edit. C. B. p. 125. *q*) Vol. 3. tab. 635. 636.

piĉturis dubiam reddere potuiſſe palmam. LINN. [r]): *Coloribus illuminatas figuras*, inquit, *potius relinquimus viris minime botanicis et curioſis, vulgo nominatis, communiter enim peior eſt illuminatio quam inſculptio, cum minimas lineas obliterat.*

V. LOCA NATALIA.

Prior haec dioecia lauri ſpecies habitat in calidiorum Europae regionum, Graeciae, Cretae, Hiſpaniae, Italiae, nec non Galliae Narbonenſis, ſiluis, ſaepibus, hortis, vineis, viridariis, locis praeſertim maritimis, ac etiam in montibus et collibus apricis, quae lacus et maria reſpiciunt, quod frigoris et algoris ſit impatiens. BELLONIVS [s]) in monte Atho celſas ac ingentes laurus ſponte naſcentes atque ſolis aeſtum perpetuo reprimentes ſeſe vidiſſe commemorat; immo etiam in Indiae occidentalis inſulis Nicaragua et noua Hiſpania, C. B. [t]) teſte, venuſtae et editae lauri exurgunt. In Germania, Anglia, Belgio, Suecia, Hungaria, Tranſiluania et plerisque Galliae traĉtibus non niſi ſata ac diligenter culta prouenit. Felicius tamen, TVRNERO et RAIO [u]) teſtibus, adoleſcit in Anglia, vbi inteĉta et ſub dio reliĉta hyemem, niſi admodum aſpera ſit, facilius tolerare dicitur quam in Germania, quippe quonam iſthic hyemalia frigora plane non perfert: quapropter per hyemes in hybernaculorum frigidariis, aut cellis hoſpitatur. Haec lauri ſpecies ſata hodie pariter in Corſica prouenit, quamuis, praeſertim PLINIO [x]) teſte, nulla olim arboris huius varietas natale ſuum ſolum in eadem hac inſula habuerit. Licet autem lauro frigus admodum inimicum ſit, ſi tamen THEOPHRASTO [y]) atque PLINIO [z]) fides habenda, copioſius Olympus nullam alit arborem. In Ponto ob caeli inclementiam nullas dari lauros, quamquam ſummo ſtudio omnique ſolertia eam olim ad vſus religioſos ſerere conati fuerint incolae, pariter THEOPHRASTVS [a]) commemorat. PLINIVS [b]) vero: *Circa Bosphorum Cimmerium*, addit, *in Panticapaeo vrbe, omni modo laborauit Mithridates rex, et caeteri incolae, ſacrorum certe cauſa, laurum myrtumque habere: non contigit, cum teporis arbores abundent ibi.* Hinc forte IOSTONVS [c]): *In Olympo*, inquit, *multa*; *in Ponto*

r) Biblioth. botan. edit. noſtrae p. 14. s) Obſeruat. lib. 1 p. 43. t) C. B. P. p. 461. u) Hiſt. plant. tom. 2 p. 1688. x) Nat. hiſt. lib. 15. edit. Harduin. tom. 1 p. 755. RVELL. de natura ſtirpium lib. 1 p. 183. IONSTON. dendrograph. lib. 5 p. 228. y) Hiſt. plant. lib. 4 p. m. 368. z) Nat. hiſt. lib. 16. tom. 2 p. m. 24. a) Loc. cit. b) Loc. cit. c) Dendrograph. lib. cit. p. 217.

Ponto nulla: ſed nec ad Boſphorum Cimmerium, quamuis Mithridate laborante prouenire dignata.

VI. OFFICINALIA.

Tantopere in veterum potiſſimum medicorum ſcholis ſeſſe commendauerat laurus, vt, quemadmodum mox dicetur fuſius, panchreſti, ſi quidem tale fingi poteſt, medicaminis obtineret locum. Olim quidem non ſolum *folia* atque *baccae*, verum etiam *radix* eiusque *cortices* frequenter erant in vſu; hodie vero inter pharmacopoeorum

Simplicia ſaltem *folia ſicca* atque *baccae* lauri vulgaris, cortice radicum prorſus neglecto, aſſeruantur.

Praeparata ex lauri baccis in noſtris officinis proſtant

Oleum laurinum expreſſum.

Oleum laurinum diſtillatum.

Vtriusque praeparandi modum variorum regionum et vrbium docent DISPENSATORIA [d]). Celeb. LINNAEVS [e]) etiam aquae diſtillatae atque olei cocti nuper mentionem fecit; neutrum vero in noſtris deprehendes pharmacopoliis, niſi h. l. ſub oleo cocto oleum noſtrum laurinum, praemiſſa leni coctione expreſſum, agnoſcere velis. In Gallorum officinis quadruplex ex baccis lauri oleum confici GODOFREDVS [f]) docet: quorum primum *oleum eſſentiale* appellant, quod vero nobis oleum baccarum lauri diſtillatum audit; dein idem duplicis generis *olea expreſſa* habet, quorum *alterum* paullo debilius ſaltem e baccis optime tritis et torculari ſubiectis elicitur; *alterum* autem penetrantius e baccis integris vel tritis, prius in aqua feruente per ſemihoram bullitis, ſub torculari fortiter exprimitur, quod proprie officinis noſtris oleum laurinum audit; tandem Gallorum *oleum laurinum*, GODOFREDO teſte, paratur ex baccis et foliis lauri tritis ac in oleo omphacino maceratis et decoctis, quod forte LINNAEO oleum lauri coctum audit, quodque, procul dubio quia ſuperioribus debilius eſt, raro, GODOFREDO monitore, vſurpatur in Gallia. Vnguento ſimilius quam oleo laurinum oleum noſtri raro ipſi parant, verum in Gallia Narbonenſi e baccis lauri recentibus expreſſum aduehi ſolet. De multiplici tam ſimplicis quam mixti olei laurini apud antiquos pariter atque recentiores conficiendi modo praeclare commenta-

d) Schroed. pharmac. med. chym. lib. 4 c. 1 p. 91. Diſpenſ. Auſtriaco-Viennenſe p. 138. Diſpenſ. Boruſſo-Brand. p. m. 112. Pharmac. Auguſt. renov. pag. 188 Pharmac. Argentoratenſ. p. 110. 117. e) Mat. med. lib. 1. p. 65.

f) GEOFFROY mat. med. tom. 3. p. 699.

ti ſunt DALECHAMPIVS [g]) IO. BAVHINVS [h]) et RAIVS [i]). Caeterum lauri ſimplicia fixioribus gaudent principiis, quam vt ſub decoctione eorundem debilitari poſſint virtutes. *Nae in parandis medicamentis,* SIM. PAVLLI [k]) inquit, *nimis ſolliciti ſaepiuſcule ſumus, metuentes coctura omnium, nullo habito delectu, euileſcere illico vires, aut illorum fragrantiam euaneſcere? vt vt ſit, de caeteris non dicam, lauri tamen honos perennat, quam ob cauſſam veneranda vetuſtas eam ſemper fecit maximi.*

Compoſita, quae lauri ſimplicia aut praeparata ingrediuntur, nobis quidem innotuere ſequentia

Emplaſtrum de baccis lauri.
Electuarium de baccis lauri.
Emplaſtrum ad hydropem.
Electuarium oruietanum.
Emplaſtrum de ranis cum mercurio Vigonis.
Emplaſtrum ſticticum Crollii.
Emplaſtrum ſtomachale.
Theriaca diateſſaron.
Confectio anacardina.
Vnguentum Martiatum.
Vnguentum ſtomachale.

Quae fere ſunt receptiſſima, h. l. commemoranda, compoſita; cui haec tamen haud ſufficiunt, euoluat vaſta DISPENSATORIORVM volumina, quae ſicut plurium medicamentorum conficiendorum normam tradunt, ita etiam horum compoſitorum parandi modum nobis ſuggerunt [l]).

VII. VIRES ET VSVS.

LINNAEVS [ll]): *Medicus*, inquit, *notitia plantae deſtitutus, de viribus eiusdem nunquam iuſte iudicauit.* Idem: *Syſtemate*, ait, *qualitate et experientia eruitur omnis vſus plantarum.* Haec ſi vera ſunt, de quibus tamen hodie nemo ſobrius atque medici nomine dignus dubitat, hem quam pauci de theoretica medicamentorum a plantis deſumtorum actione in his praeſertim oris iuſte iudicabunt Hygeae filii! Mos enim fere

g) Hiſt. plant. lib. 3 tom. 1 p. 353.
h) Hiſt. plant. lib. 4 tom. 1 pag. 415.
i) Hiſt. plant. lib. 30. p. 1689.
k) Quadripart. botanic. edit. nouiſſ. p. 84.
l) Diſp. Auſtr. Viennenſ. p. 58. 60. 74. 106. 120. 230. Diſp. Boruſſ. Brandenb. edit. Erford. p. 45. 52. 57. 65. 69. 72. 74. 75. 184. 210.
ll) Mat. med. lib. 1 can. 13. 14.

fere inualuit, immo, ne quid peius dicam, dementia, quod ſummopere dolendum, hic tantopere faſcinauit plures, vt vix ac ne vix quidem tirociniis praeſertim theoreticis legitime poſitis, poſthabito plerumque amoeniſſimo atque vtiliſſimo, quo tamen nullus profecto carere poteſt medicus, rei herbariae ſtudio, quippe quod ad pharmacopaeorum ſaltem induſtriam amandandum eſſe ſibi aliisque ſubdole perſuadent, mox ſeſe laurea doctorali exornandos ſiſtant ſalutaris doctrinae ſtudioſi; atque ita haud raro perfrictae frontis, immo ſpiſſis ignorantiae nebulis occecati homines illotis quod aiunt manibus polluunt, atque, quibus parcere debebant, ſubinde plane profanant Aeſculapii ſacra. Hi ſi ſaltem GALENI [m]), cuius tamen ſtrenue certatim anhelant opes, ſequerentur conſilium, qui: *Medicus*, inquit, *omnium ſtirpium, ſi fieri poteſt; peritiam habeat, conſulo: ſin minus, plurium ſaltem, quibus frequenter vtimur;* nunquam profecto talia tantaque medicina aleret portenta! Audiamus quid hac de re pariter ſentiat ſaeculi noſtri decus, botanicorum ſpes, praeſidium, princeps, LINNAEVS [n]), qui: *Conſumunt*, inquit, *ſaepe in ſola dignotione corporis humani iuuenes medici ſuos annos, vix calcantes medicamentorum theatrum; euadunt docti theoretici, infelices practici; at qui vtrumque ſibi perſpectum habuere fundamentum medici fecere miracula; quam enim neceſſaria eſt medico intima cognitio corporis aegroti, tam etiam ipſi intima cognitio medicamenti; ſi vel omnium morborum cauſſas quam euidentiſſime perſpicerem, nullam harum tollerem absque aeque notis remediis. Nulla pars medicinae, obſtupeſco dum dico veriſſimum, minus eſt exculta, quam medicamentorum cognitio; nullibi plures errores, pluresque defectus quam in hac ſola! cauſſa alia nulla, quam neglectus ſimplicium, neglectus botanices; ars non habuit oſorem niſi ignorantem. Primus gradus ſapientiae eſt res noſſe: medicamenta primaria ex regno vegetabili petuntur, proin botanices cognitio primaria, maxime neceſſaria et maxime naturalis eſt. Nulla datur vera cognitio virtutum plantarum, niſi botanicae iuncta; concedat hoc ambabus medicus omnis experientia et botanices cognitione inſtructus, concedat hoc qui claſſes nouerit naturales, affinitates et familias plantarum.* Sed redeamus ex diuerticulo in viam. Dum autem potiſſimum ſecundum recentiorum botanicorum placita ad penitius indagandas lauri virtutes nos accingimus; facile cuique patet, hoc loco plerorumque botanophilorum, qui pro vario tempore ex diuerſis principiis de plantarum viribus ſolliciti fuere haud in cenſum venire

m) Antid. lib. I.

n) Hort. cliff. in dedicat.

nire ſententias. Quapropter nec ſequemur *aſtrologos* [o]), qui a ſyderum influxu praepoſtere plantarum vires explicare tentarunt; nec *ſignatores* [o]), qui ab externa plantae conuenientia cum membris vel morbis tale quid hariolari perperam operam nauarunt; nec *chemicos* [o]), qui omnes vegetabilium vires ignis ope manifeſtare fruſtra annifi ſunt, nec alios, praeter *chymologos* [o]), qui adhibitis ſenſibus externis, praeſertim autem odore et ſapore, vno verbo, qualitate, optime plantarum vires indagare norunt; haud neglectis *obſeruatoribus* [o]), quos ſola experientia de plantarum viribus et vſu certiores reddidit. Anteaquam autem ad intimius ſcrutandas lauri vires deſcendamus, ordinis ratio poſtulat, vt prius de eius partibus conſtitutiuis agatur. Omnia enim vegetabilia vim et actionem ſuam in corpus humanum pro ratione qualitatum ſeu principiorum conſtitutiuorum exerunt. *Sapor* foliorum de calida, acri, amara, aromatica, et ſubadſtringenti, baccarum vero ſimul de pingui atque oleoſa lauri qualitate nos certiores reddit; *odor* autem eandem pariter fragrantis eſſe indolis ſatis clare comprobat: hinc calefacientes, roborantes, reſoluentes, diſcutientes, neruinae atque carminatiuae a lauro deſumtorum ſimplicium reſultant vires. Nam amara roborant, incidunt atque attenuant. Quoniam vero, vt iam ſupra belle monuit nunquam ſatis laudandus LINNAEVS, non ſolum qualitate, verum etiam experientia omnis eruitur plantarum vſus; hinc reliquas, quibus ſubinde praeſertim antiquiores medici laurum ſuperbire intellexerunt, haud dubie experientia docuit vires.

Laurus DIOSCORDI [p]), PLINIO [q]) et GALENO [r]) excalefactoriam, deſiccantem, relaxantem, emollientemque naturam habet, quibus DIOSCORIDES [s]) ſubiungit: *τὰ δὲ χλωρὰ τῶν φύλλων, ἠρέμα ὑποστύφει.* i. e. *virentia autem folia ſenſim ſubſtringunt.* Et paulo poſt: *αἱ δὲ δαφνίδες θερμαντικώτεραι τῶν φύλλων εἰσί.* h. e. *lauri baccae magis quam folia calefaciunt.* Haec omnia adhuc hodie quotidiana comprobat experientia. Quapropter pulcre profecto collineant, quae iam antiquioribus medicis ex calida, aromatica et fragrante lauri qualitate haud ignotae erant, lauro olim tributae vires, cum iis, quae ex recentiorum ſententia, Apollini ſacratae arboris adhucdum celebrantur virtutes. Enimvero CAMERARIVS [t]) veterum potiſſimum veſtigia praemens: *Lauri folia*

o) LINN. fund. botan. edit. noſtrae p. 9. LINN. bibl. botan. edit. noſtrae p. 115 ſqq. LINN. amoenit. academ. p. 418 ſq. EMAN. KÖNIG regn. vegetab. ſect. 3 c. 13. 14. 15.

p)) Lib. 1 c. 107 p. m. 44.

q) Hiſt. nat. lib. 23 edit. Harduin. tom. 2 p. 320.

r) De ſimpl. medicamentor. facult. lib. 6 c. 101. et de ſimpl. medicamin. c. 147.

s) Loc cit.

t) Epitome Matthioli p. 60.

folia et baccae, inquit, *excalefaciunt*, *et ſiccant vehementer*, *atque hae quoque magis quam illa. Radicis autem cortex nonnihil adſtringit*, *et minus acris eſt*, *et minus calida. Laurus attenuat*, *aperit*, *prouocat*, *incidit*, *emollit*, *digerit*, *flatus pellit.* Audiamus nunc etiam quid recentiores, atque in arte, cui litamus, exercitatiores hac de re ſentiant medici. PAVL. HERMANNVS [y]): *Lauri baccae*, inquit, *blandum ſuum oleoſum aromaticum ſal fouent in oleo craſſo admodum*, *anodyno et hypnotico*, *virtute diuretica et vterina conſpirant cum baccis iuniperi*, *his tamen virtute carminatiua et anodyna longe ſuperiores ſunt.* IDEM alibi [z]): *Lauri folia*, ait, *reſpondent virtute baccis lauri*, *licet baccae ob olei copiam vim potentiorem anodynam habeant.* HERM. BOERHAAVE [a]): *Quoad vires*, inter alia inquit, *folia ſunt fragrantiſſima*, *et cinnamomum ſpirant*; *baccae attenuant*, *reſoluunt*, *incidunt*, *emolliunt tumores*, reliqua. GODOFREDVS [b]): *Folia vtpote aromatica amaricantia cum nonnulla adſtrictione*, *calefaciunt*, *digerunt*, *reſoluunt*, *ventriculum roborant*, *ciborum concoctionem iuuant*, *flatus diſcutiunt.* Et paulo poſt: *Baccae magis quam folia calefaciunt*, *concoctionem crudorum humorum promouent*, *ſuccos lentos*, *ac viſcidos diuidunt et reſoluunt*: *externe potenter reſoluunt et roborant.* IO. HENRIC. SCHVLZE [c]): *Baccae oleum aliquod craſſum fouent*, *ſale quodam penetrante digeſtiuo maritatum; virtute pollent carminatiua*, *tum vero etiam copioſo vſu pellente et diuretico.* Tandem haud nobis hic ſilentio praetereundus eſt celeb. LINNAEVS [d]), qui vt in omnibus diuinis atque cedro digniſſimis ſuis ſcriptis, ita etiam hoc loco paucis multa comprehendit momenta. Vbi enim lauri virtutes celebrat: *Vis*, inquit, *calefaciens*, *reſoluens*, *pellens*, *carminatiua.*

Praeter memoratas praecipuas lauri virtutes veteres pariter *emeticam*, *pituitam purgantem*, *immo abortiuam* atque *foetum in vtero enecantem* ſacrae, quam ſemper vèneranda maximi fecit antiquitas, arbori tribuerunt potentiam. DIOSCORIDES [e]): *Ποθέντα πραΰνει τὸν στόμαχον, καὶ ἐμέτους κινεῖ.* quae ex RVELLII verſione ita ſonant: *pota ſtomachum effundunt*, *et vomitiones mouent.* PLINIVS [f]): Folia pota vomitiones mouent. Haec autem DODONAEO [g]) experientiae repugnare videntur,

y) Cynoſ. mat. med. tom. I p. 286.
z) Lib. excitato p. 498
a) Hiſt. plantar. p. 166.
b) Mat. med. tom. 3 p. 698. 699.
c) Mat. med. p. 378.
d) Mat. med. lib. I p. 65.
e) Lib. I c. 107 p. m. 45.
f) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8. edit. Harduin. tom. p. 320.
g) Stirp. hiſt. pempt. 6. lib. 5 p. m. 850.

dentur, qui: *Coquuntur*, inquit, *lauri folia a recentioribus non raro cum nonnullis cibariis, praeſertim piſcibus: verum inde nulla nauſea accedit, ſed cibus iſtis conditus ſapidior, ac ventriculo gratior redditur.* IAC. DALECHAMPIVS h): *Virentia folia*, quidem ait, *pota ſtomachum effundunt et vomitus mouent;* aſt idem mox ſubiungit CORNARIVM pro πραΰνει, i. e. *mitigant*, βαρύνει legiſſe, quod ſignificat, *grauant.* BODAEVS A STAPEL i): *Cum teſte* DIOSCORIDE *et* PLINIO, inquit, *lauri folia vomitiones moveant, ergo manducarunt ea tantum, vel aliis ſimul cibis addita, vt bellariis, et muſtaceis, comederunt. His et ſimilibus ſi addantur laurina folia, non tantum non mouent vomitus, ſed cibum ſapidiorem et ventriculo gratiorem faciunt. Sicut raphanus inter coenandum, aut prandendum, quae alioquin vomendi gratia datur, eſt veluti ciborum condimentum, appetentiaeque incitamentum: ſic laurus aliis obſoniis miſta, ſtomacho grata admodum, calefactione facit, vt cibus a ventriculo bene concoquatur, cibaria enim, quibus permiſta eſt, obtundunt acrimoniam, quae ventriculum vellicat, et quaſi ad vomendum impellit.* IO. BAVHINVS k) vero DODONAEVM ſequutus, plane negat, emeticam lauri foliis ineſſe virtutem, atque ex corrupto DIOSCORIDIS codice peruerſam hanc promanaſſe ſententiam haud contemnendis omnino argumentis adſtruere allaborat. In graeco legitur πραΰνει τὸν ςόμαχον, i. e. *mitigat*, pro quo legit CORNARIVS, ut iam monuimus, βαρύνει, i. e. *grauat*, καὶ ἐμέτους κινεῖ. In alterutro autem horum membrorum errorem ſubeſſe eorum inter ſe repugnantia oppido ſatis clare oſtendit, quam praeter CORNARIVM atque alios pariter etiam IO. BAVHINVS probe obſeruauit, cui autem non in prima, verum in poſtrema propoſitione vitium commiſſum videtur. Nam: *Certum*, inquit, *eſt tum experientia, tum ex* GALENO, *aromaticam eſſe totam, et amaricantem, cum nonnulla adſtrictione hepati amica, quali ventriculum tantum abeſt vt ſubuertant, vt nauſeabundum corroborent potius. Quare recte retineri πραΰνει, optimorum codicum fidem ſecuti, exiſtimamus: τὸ κινεῖ vero in textum irrepſiſſe et expungendum eſſe: quemadmodum legiſſe veroſimile eſt Galenum, alioqui hoc non taciturum. Plinius autem videri poteſt corrupto vſus codice, vt multis locis ei eueniſſe patet.* Haec quamuis experientiae quotidianae fundamentis probe ſuffulta videantur, RAIVS l) tamen poſthabita vero ſimiliori hac ſententia, ſequentem in modum BAVHINI impugnat placita, dum: *Verum*, inquit, *nos*

PLI-

h) Hiſt. plant, lib. 3. tom. 1 p. 352. — i) Theophr. Ereſii hiſt. plant. lib. 3 c. 11 p. 186. k) Hiſt. plant. lib. 4 tom. 1 p. 413. l) Hiſt. plant. lib. 30 tom. 2 p. 1689.

PLINIVM DIOSCORIDI *ſaltem coaeuum, ſi non antiquiorem, alibi ex Salmaſio oſtendimus; proinde Plinium et Dioſcoridem ex alio antiquiore auctore, quae eadem habent, exſcripſiſſe, ideoque cum in facultate illa vomitus mouendi Plinius et Dioſcorides conſentiant, poſterius clauſulae membrum procul dubio ſanum eſt, prius corruptum et per illud emendandum, vt recte fecit Cornarius: ſiue verum ſit folia vomitum mouere, ſiue id res vera refutet.* CASP. HOFMANNVS [m]) ad ſibi propoſitam quaeſtionem, conferantne, an laedant ſingulae lauri partes ventriculum, pariter ex RAII ſententia reſpondet, dum: *Tot*, ait, *auctoritates faciunt, vt credam hoc poſterius potius. Ideo cum Marc. Vergilio et Cornario pro πραΰνει apud Dioſcoridem lego, βαρύνει.* MARCELLO VERGILIO [n]), quem hic HOFMANNVS excitat, quoque vetus lectio ſuſpecta videbatur, qui quidem h. l. aliud quod pro πραΰνει, ſimiliter tamen deſinens verbum, aut τραχύνει, aut παχύνει, aut ἀνακλίνει, vel hi ſimile quod aliud, ſubuertendi, miſcendi, et exaſperandi ſignificationem denotans ſubſtituendum eſſe exiſtimabat; quam pariter cl. IO. GERARDVS WAGNER [o]) tuetur ſententiam. GODOFREDVS [p]) vero DODONAEVM atque IO. BAVHINVM ſequutus: *Lauri folia*, inquit, *a recentioribus non raro cum nonnullis cibariis, praeſertim piſcibus coquuntur, ſuillasque et pernas coronare ſolent. Et tantum abeſt, vt ventriculum ſubuertant, vt nonnulli opinantur, quin potius nauſeabundum corroborent.* Sed haec de emetica lauri virtute ex antiquiorum et recentiorum medicorum ſcholis dicta ſufficiant.

Ad *pituitam purgantem* vero lauri facultatem quod attinet, quamuis ea, quae cl. WAGNER [q]) in modo laudato opuſculo ex DIOSCORIDE atque PLINIO excitauit, potius de LINNAEI, celeb. noſtri DIOSCORIDIS SECVNDI, quam DIOSCORIDIS ANAZARBEI Daphne tuto praedicari poſſint; tamen, praeter ea, quae ſupra praeſertim autem ex GODOFREDO his pagellis inſerta ſunt, pituitoſos humores incidentem, corrigentem, immo, additis praeſertim inteſtina ſtimulantibus atque leniter relaxantibus, pariter euacuantem lauri efficaciam quidam ſcriptis conſignarunt botanici. DODONAEVS [r]): *Baccae*, inquit, *refrigeratum ventriculum concalefaciunt: concoctionem crudorum humorum promouent: languentem appetentiam excitant: cibi faſtidium pellunt.* MATTHIOLVS [s]) autem tenerrimas lauri cymas cum calamintha et ſale contritas, atque

m) De medicam. officinal. lib. 2 c. 123 p. 280. *n*) In prima graecolatina Dioſcoridis editione, quae Colon. 1529 in fol. prodiit. *o*) In arboreti ſacri perfectioris ſpecimine p. 145. *p*) Mat. med. tom. 3 p. 698. 699. *q*) Laur. ex omni antiqu. erut. p. 147 ſqq. *r*) Hiſt. ſtirp. pempt. 6 lib. 5 p. 850. *s*) Comment. in Dioſc. lib. 1 edit. C. Bauh. p. 126.

ex aqua tepida ſumptas aluum ciere, pituitamque celeriter expellere perhibet, quod pariter ſpiſſis ſuis voluminibus inſeruerunt DALECHAMPIVS [t]) atque IO. BAVHINVS [u]). Huc etiam faciunt, quae IO. CHRÖDERVS [x]) potiſſimum de baccis lauri praedicat, vbi inter alia: *Vſus praecipuus baccarum*, inquit, *in cruditatibus ventriculi*; eadem iterum DALAEVS [y]) commemorat.

Tandem de *abortiua* atque *foetum in vtero materno enecante* lauri virtute DIOSCORIDES [z]): ὁ φλοῖος τῆς ῥίζης, ait, ἔμβρυα κτείνει. i. e. *Cortex radicis partus necat.* PLINIVS [a]) vero: Cortex, ait, radicis cauendus grauidis. Hinc RVELLIVS [b]): *Cortex radicis grauidis cauendus*, *enecans partum.* Conferri h. l. merentur MATTHIOLVS [c]), DODONAEVS [d]), CAMERARIVS [e]), DALECHAMPIVS [f]), IO. BAVHINVS [g]), IONSTONVS [h]), RAIVS [i]) atque LINNAEVS [k]).

Ex praeſtantiſſimis autem ſupra ſigillatim enumeratis felicis arboris facultatibus multifarius omni tempore in medicinam promanauit vſus. Recenſitis itaque tam ex antiquorum quam recentiorum medicorum monumentis lauri viribus, praeſtantioribusque, quibus plerisque certe vegetabilibus dubiam reddit palmam, virtutibus, nunc pariter *de eius* in ſanandis variis, praeſertim autem corporis humani affectionibus *vſu* paullo agetur vberius. Tantopere autem laurus, cuius honos perennat, commendabatur olim, VT CASSIANVS BASSVS [l]) ſcripſerit: λέγουσι δὲ καὶ τοῦτο περὶ τῆς δάφνης, ὅτι ὑγιείας ἐργαστικὸν ἐστιν, ὅθεν καὶ φύλλα αὐτῆς ἐπεδίδοντο τοῖς ἄρχουσι παρὰ τοῦ δήμου τῇ πρώτῃ τοῦ ἰανουαρίου μηνὸς, καὶ ἰσχάδες. i. e. *Dicunt inſuper et de lauro*, *quod ſanitatem videlicet efficiat*, *vnde etiam folia ipſius magiſtratibus a populo prima Ianuarii menſis*, id eſt calendis, *porrigebantur*, *itemque caricae.* Idem praeter alios commemorat MACROBIVS [m]); ſed menſe Martio id factum fuiſſe, non Ianuario, tradit. Adeoque in genere ad conſeruandam ſecundam valetudinem laurum ſatis efficacem iudicauit antiquitas. His BODAEVS A STAPEL [n]): *Certe eam ob cauſſam*, addit, *tutelae ſacrarunt*, *quod*

t) Hiſt. plant. lib. 3 tom. 1 p. 352. *u*) Hiſt. plant. lib. 4 tom. 1 p. 414. *x*) Pharmacop. med. chymica lib. 4 claſſ. 1 p. 91. *y*) Pharmacolog. edit. lugd. bat. p. 360. *z*) Lib. 1 c. 107 p. m. 44. *a*) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8. edit. Harduin. tom. 2 p. 320. *b*) De nat. ſtirp. lib. 1 p. 183. *c*) Comment in Dioſc. l. c. *d*) Pempt l. c. *e*) Epit. p. 60. *f*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 352. *g*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 415. *h*) Dendrogr p. 227. *i*) Hiſt. plant. p. 1689. *k*) Mat. med. lib. 1 p. 65. *l*) Γεοπονικῶν lib. 2 c. 3. *m*) Saturn. lib. 1 c. 12. *n*) In comment. ad Theophraſt. p. 186.

quod in locis vbicunque vel ſata, vel affixa fuerit, incolumitatem praebeat. Qui mox haud aliam ob cauſſam Aeſculapii caput laurea olim redimitum fuiſſe ſubiungit. IO. LOMEIER [o]) de lauro: *Diuini aliquid*, ait, *in hac arbore latere veteribus perſuaſum fuit. Credebant illi vim ineſſe malum auerruncandi; patet ex prouerbio* δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν, laureum geſto baculum: *quomodo loquuntur, qui inſidiis appetiti feliciter periculum effugerunt.* IDEM alibi: *Lauri ramum in morbis grauiſſimis*, inquit, *pro foribus ſuſpendebant, Apollinem, mortis fatalis praeſidem, cuius ea arbos, deprecaturi.* In excitatum forte geoponicorum auctoris locum pariter RVELLIV [p]) inciderat, vbi ſcriberet: *Laurum tradunt ſecundam valetudinem adferre, proinde folia principibus a populo et caricae prima die Ianuarii menſis donabantur. Quippe cum nec ſacer morbus, nec malus genius negotium exhiberet, vbi laurus adfuiſſet.*

Progredior nunc ad lauri pro ratione commemoratarum eximiarum facultatum atque praeſtantiorum virtutum ſingularem atque vere polychreſtum *vſum medicum*, quem tam quoad ſimplicia, quam praeparata, atque ſupra excitata compoſita officinalia pro ingeni modulo ad antiquorum pariter ac recentiorum medicorum mentem operoſe explanatum, demum excipiet vſus tantopere commendatae arboris *oeconomicus.* In genere autem ex recentiorum medicorum ſententia de ſimplicium lauri vſu ſequentia ab HERMANNO et GODOFREDO conquiſita notari merentur momenta. HERM. [q]): *Baccae ſpecifice*, inquit, *praedicantur in colica, paralyſi, doloribus et vteri vitiis, in febribus malignis ſingulare et blandum ſudoriferum conſtituunt, praecipue ſi camphora addatur. Externe applicatae conueniunt in inflatione ventriculi, paralyſi, conuulſione, ileo, iſchuria, doloribus poſt partum, colicis doloribus, item in enecandis pediculis, nam odorem non ferunt, in ſananda ſcabie et maculis faciei.* Et paullo poſt: *Baccae menſes et foetum pellunt hinc ſex vel ſeptem baccae in partu difficili deuorantur.* IDEM alibi [r]): *Folia ed veſparum apumque ictus commendantur, ſuffitus menſes prouocat. Adhiberi poſſunt in clyſteribus et ſacculis carminatiuis, vt et fomentis.* GEOFFROY [s]): *Ad ventriculum roborandum*, ait, *colicos dolores flatulentos diſcutiendos foliorum infuſum theae ad inſtar praeſcribitur, aut puluis ad drachmam vnam ingeritur. Eorundem decoctum in enematibus ad colicam abigendam vtiliter vſurpatur. Idem in matronarum inſeſſus et balnea additur et vuluae ſor-*

 des,

o) De luſtrat. vet. gentil. c. 19 p. m 252. conf. c. 24 p. 299. p) Nat ſtirp. lib 1 p. 182. q) Cynoſ. mat. med. vol. 1 p. 287 ſq. r) p. 498. s) Mat. med. tom. 3 p. 699.

des, vel praegnanti, tuto eluere, vteri ac veſicae vitiis mederi dicitur. Baccae a veteribus aduerſus phthiſin, orthopnoeam, et omnes circa thoracem defluxiones ſiue rheumatiſmos commendantur: noſtra aetate ad ventriculi, iecoris, lienis et veſicae affectus vſurpantur, lan uentem appetitum excitant; cibi faſtidium pellunt, iecoris et lienis obſtructiones aperiunt; vrinas cient, menſes mouent, et ſecundinarum expulſionem faciunt. Et mox: *Baccae interne ad ſedandos dolores vtiliter exhibentur. In cataplaſmatibus, vnguentis vel emplaſtris apprime conducunt ad dolores mitigandos, tumores reſoluendos, partes ſufficienti tono deſtitutas roborandas.* Quoniam de reliquo arboris huius, praeſertim ex veterum ſententia, tam late patet vtilitas medica, vt in ſingulis fere pathologiae capitibus laurum triumphare videas; bonae autem methodi leges vbique poſtulant ordinem, ſi fieri poteſt, naturalem, ſin minus, tamen naturali proxima via incedere iubent: hinc ne tumultuaria ſaltem opera, quae huc ſpectant momenta, transfudiſſe videar; peculiarem prius in hac potiſſimum tractatione eligendam duxi normam, cui ſubſequentes accommodarem doctrinas. Dumque haec apud me reputo, oportune mihi in manus incidit haud ſimplici vice laudatum clar. WAGNERI perenni arbori conſecratum opuſculum, quod, praeter opima, quibus plane ſuperbit, eruditae antiquitatis ſpolia, etiam ordine mihi quidem ſeſe tantopere commendauit, atque adeo arriſit, vt eandem in diſponendis, quibus laurus opem ferre dicitur, morbis, ferme preſſo pede ſequi viam illico apud animum ſtatuerem.

Omnes autem, quibus Apollinis, medicinae ſtatoris, arbor ex veterum et recentiorum perſuaſione medetur infirmitatibus, commode in *quatuor* diſpeſci poſſunt *claſſes:* quarum *prior* comprehendit affectus externum potiſſimum corporis habitum, praeſertim vero machinae humanae corticem ſeu ſummam cutim infeſtantes; *altera* vero internas aegritudines, vniuerſum corpus adfligentes; *tertia* denique complectitur vitia certis ſaltem corporis noſtri partibus inimica; tandemque vltima ſibi vindicat morbos alterutri ſaltem ſexui proprios.

Claſſem vero *primam* ſequentia reſpiciunt malorum genera.

CVTIS PRVRIGO ET PHTHIRIASIS. Cutis pruriginem ſuccus baccarum emendat, et phthiriaſin. *Plin. t*). Haud pedicularem morbum, verum potius palpebrarum furfuraceam et ſquamoſam ſcabiem ſub voce phthiriaſis hic intelligendam eſſe cl. WAGNER *u*) monuit.

VITI

t) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8 edit. Harduin. tom. 2 p. 320.

u) Libello paſſim excitato p. 150. conf. BLANCARDI lexicon med. edit. noſtrae p. 530.

VITILIGINES. Αἱ δαφνίδες ἀλφὰς σμήχουσι. *Dioſc. x*) i. e. *Baccae vitiligines emaculant.*

EPINYCTIDES, LENTIGINES, FVRFVRES, VLCERA MANANTIA. Epinyctides ex oleo illitae (baccae), et lentigines, et vlcera manantia, et furfures emendant. *Plin. y*).

Quae hucusque potiſſimum de lauri ad cutis vitia propulſanda vſu ex PLINIO atque DIOSCORIDE in medium prolata ſunt; ea paucis ſubinde ſaltem mutatis voculis denuo memoriae prodiderunt RVELLIVS *z*), MATTHIOLVS *a*), DODONAEVS *b*), DALECHAMPIVS *c*), CAMERARIVS *d*), IO. BAVHINVS *e*), IONSTONVS *f*), RAIVS *g*), alii. SCHROEDERVS *h*): *Oleum lauri ſtillatitium*, inquit, *delet impetigines, lentigines et quascunque faciei maculas: denique ichoroſis capitis vlceribus medetur, phthiriaſin et tineas curat.* Omnia haec totidem fere verbis apud BOERHAAVIVM *i*) leguntur momenta. BARTHOL. ZORNIVS *k*), in cuius modo excitatam Botanologiam medicam apposite profecto ab ill. de HALLER *l*) pridem latum quadrat iudicium, dum: *Non alibi copioſior*, inquit, *exſtat virium compilatio, ex ipſa mole et numero citationum fere inutilis.* ZORNIVS, inquam, praeter RVELLIVM plures hoc loco conſtipauit medicos practicos quam botanicos: adeo autem procul omni dubio bonus iſte vir ſuis quondam intentus erat compilationibus, vt ſubinde palmae ramos a ramis lauri haud prouide ſatis diſcernere potuerit. Quum enim *m*) paullo ante de triumphatorum apud Romanos lauri ramis egiſſet; mox ſubiungit: *Hinc ortum palmarum feſtum*, cetera.

VENENATI ANIMALIVM ICTVS. ὠφελεῖ δὲ λεῖα καὶ καταπλασθέντα (τὰ φύλλα), σφηκῶν καὶ μελιττῶν πληγάς. *Dioſc. n*) i. e. *opitulantur autem illita quoque trita (folia) veſparum apiumque ictibus.* Et paullo poſt: πίνονται δὲ σὺν οἴνῳ (αἱ δαφνίδες) πρὸς σκορπιοπλήκτους i. e. *bibuntur autem cum vino (baccae) contra ſcorpionum ictus.* NICANDER *o*) de tenuifoliae lauri baccis, quas ad venenatos ictus commendat, ita canit:

Μη δε συγε αβροτονυ επιληθεο, μη δε τι δαφνης
καρπον αραιοτερης.

Neque obliuiſcere abrotoni, nec fructus lauri tenuifoliae. Perunctos ſucco baccarum cum vino vetere et roſaceo fugiunt venenata omnia. Prodeſt contra ictus et potus, maxime autem eius laurus, quae tenuiora habet folia. Baccae cum vino ſerpentibus, et ſcorpionibus, et araneis reſiſtunt. Quidam aduerſus ſcorpionum ictus, decem baccas dare iubent potui. *Plin. p*). Illita (folia) veſparum, crabronumque et apium, item ſerpentium venenis reſiſtunt, maxime ſepis, dipſadis, et viperae. Aduerſus ſcorpiones quaternae (baccae) ex vino bibuntur. *Idem q*).

In his vero artis noſtrae principum ſcholis probe inutritis medicis, praeſertim autem botanicis, has pariter indagare licuit lauri virtutes; atque hinc potiſſimum alexipharmacus Apollini conſecratae arboris in medicinam promanauit vſus: quapropter vt alibi paſſim, ita etiam h. l. qui iam pridem *Dioſcoridi* atque *Plinio* cogniti fuere, eos, inquam, denuo ſaltem plantarum diuulgarunt ſcriptisque recentioribus ſubinde cele-

x) Lib. I c. 107 p. m. 45. *y*) Loc. cit. *z*) De nat. ſtirp. p. 184 *a*) Comment in Dioſc. p. m. 97. *b*) Pempt. 850. *c*) Hiſt. plant. tom. I p. 352. *d*) Epit. 60. *e*) Hiſt. plant. tom. I p. 413. *f*) Dendrogr. 227. *g*) Hiſt. plant. tom. 2 p. 1689. *h*) Pharmacop. med. chym. lib. 4 cl. I p. 91. *i*) Hiſt. plant. p. 167. *k*) Botanol. med. 284. *l*) In indice nominum ſcriptorum enumerationi ſtirp. Heluet. praemiſſo p. 26. *m*) Lib. cit. p. 382. *n*) Loc. cit. *o*) In theriacis p. 38. *p*) Lib. cit. p. 321. *q*) p. m. 320.

celebrarunt vſus. De ſententiae autem huius veritate ſubdubitantes euoluant ſaltem atque conferant MATTH. *r*), DOD. *s*), DALECH. *t*), CAMER. *u*), IO. BAVH. *x*), IONST. *y*), RAI. *z*), HERM. *a*), DALAEVM *b*), atque BOERHAAVIVM *c*) cum ſupra his pagellis inſertis *Dioſcoridis* atque *Plinii* monumentis, atque ita non niſi ſtolidos calculum nobis denegaturos eſſe audacter profiteor.

INFLAMMATIONES. δύναται δὲ καὶ πᾶσαν φλεγμονὴν πραΰνειν σὺν ἀλφίτῳ καὶ ἄρτῳ καταπλασθέντα. *Dioſc. d*) *Omnem inflammationem* (virentia folia) *cum pane polentaue illita demulcere valent.* Quapropter RVELL. *e*): *Lauri folium*, inquit, *inflammationes omneis cum pane et polenta mitigat.* Haec pariter ſcriptis ſuis mandarunt MATTH. *f*), DALECH. *g*), IO. BAVH. *h*), alii. SCHROEDERVS *i*): *Extrinſecus*, inquit, *folia molliunt tumores*; quae pariter DALAEVS *k*) habet. BOERHAAVIVS *l*) autem: *Baccae*, inquit, *attenuant*, *reſoluunt*, *incidunt*, *emolliunt tumores.*

FATIGATIO ET PERFRICTIO. In fatigatione aut perfrictione ſucco eo (baccarum lauri) perungi, nitro adiecto prodeſt. *Plin. m*). Oleum ex delphica ad perfrictiones diſcutiendas. *Idem n*). Conf. RVELL. *o*), DALECH. *p*), IO. BAVH. *q*) RAIVS *r*), alii.

GANGRAENA. Baccae illinuntur gangraenis cum melle. *Plin. s*). Hic pariter et quidem locis modo allegatis conſulendi ſunt RVELL. DALECH. IO. BAVH. RAIVS.

AFFECTVS NERVORVM. Oleum ex delphica ad neruos laxandos vtile eſt. *Plin. t*). Hinc procul dubio RVELL. *u*) *Oleum e delphica*, inquit, *ad diſcutienda neruorum vitia vtile eſt.* IONST. *x*) autem: *Elicitur e baccis*, ait, *oleum ſingulari in neruorum reſolutione experimento.* SIM. PAVLLI *y*): *Oleum medetur partibus paralyſi laborantibus.* SCHROED. *z*): *Vſus praecipuus baccarum in affectibus neruorum*, *paralyſi*, reliqua. Haec iisdem plane verbis DALAEVS *a*) denuo inculcat. BOERH. *b*): *Baccae*, inter alia inquit, *conducunt in paralyſi*, *affectibus neruorum*, caetera.

SCABIES. DODON. *c*): *Oleum expreſſum aut decoctione ex baccis elicitum*, inquit, *ſcabiem atque ſimiles cutis foeditates cito curat.* SIM. PAVLLI *d*): *Oleum partibus ſcabie laborantibus oppido conducibile.* Idem autem, qui alicubi ill. HALLERO hilaris et garrulus ſenex audit, olei laurini cum mercurio viuo remiſti vſum externum reprobat. BOERH. *e*) *Baccae conducunt in curanda ſcabie.*

PEDICVLI. IONST. *f*): *Oleum e baccis*, inquit, *pediculos et lendes necat.* BOERH. *g*): *Baccae conducunt in enecandis pediculis, nam odorem ferre non poſſunt.* Vbi autem denuo ſaepius excitatam hanc BOERHAAVII plantarum hiſtoriam auidis peruoluo manibus, ſimul aequiſſimi, in eundem hunc codicem quondam ab ill. HALLERO lati recordor iudicii. Ita autem de iſto opere BOERHAAVIANO HAL-

r) Comment. in Dioſc. p. m. 97. *s*) Pempt. p. 850. *t*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 352. *u*) Epit. p. 60. *x*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 412 ſeq. *y*) Dendrogr p 227. 229. *z*) Hiſt. plant. tom. 2 p. 1688 ſq *a*) Cynoſ. mat. med tom. 1 p. 498. *b*) Pharmacol. edit. lugdb. p. 360. *c*) Hiſt. plant. p. 166. *d*) Loc. cit. *e*) Lib. cit. p. 183. *f*) Loc. cit. *g*) Loc. cit. *h*) Loc cit. *i*) Pharmacop. lib. 4 cl. 1 p. 91. *k*) Loc. cit. *l*) Loc. cit. *m*) Hiſt. nat. l. c. *n*) Ibid. *o*) Lib. cit. p. 184. *p*) Loc. cit. *q*) Loc cit. *r*) Lib. cit. p. 1689. *s*) Loc. cit. *t*) Hiſt nat. lib 23 c. 8 edit. Hard. tom. 2 p. 321. *u*) Nat. ſtirp. p. 184. *x*) Dendrogr p. 227. *y*) Quadripart. bot. edit. nouiſſ. p. 84. *z*) Lib. et loc. cit. *a*) Loc. cit. *b*) Loc. cit. *c*) Loc. cit. *d*) Loc. cit. *e*) Loc. cit. *f*) Loc. cit. *g*) Loc. cit.

HALLERVS *h*) ſentit: *Codicem ſatis verboſum, ſed mendoſiſſimum, praelectionum* PRAECEPTORIS, *in horto inter demonſtrandum exceptorum, nactus auarus bibliopola, adeo turpem edidit, vt iuſtiſſima indignatione mouear, quoties* TANTI VIRI *nomen tot faedis erroribus praepoſitum video. Interim latent in turpiſſima confuſione ditiſſimi characteres, et magna vis obſeruationum practicarum, quae facile me mouebunt, vt ex meo codice hunc olim edam emendatum.* Optamus autem illuſtri huic viro, cuius tot tantisque nunquam profecto interituris monumentis longe celeberrimum nomen dudum immortalitati conſecratum nouimus, otium, quo immaturum hunc, atque variis naeuis deformem magni BOERHAAVII foetum non ſaltem priſtinae puritati, atque nitori reſtituendo, verum etiam ſubinde ex ditiſſimis propriis variarum doctrinarum theſauris augendo inſigniterque locupletando, hoc quoque modo vniuerſam medicam, praeſertim autem botanicam ſibi maiorem in modum deuincire poſſit rempublicam.

Claſſis altera tria ſaltem in hanc ſcenam producit, aſt multo grauiora vniuerſaeque corporis humani machinae haud raro interitum minitantia, morborum genera.

FEBRIS. Baccae orthopnoeam ſanant binae, detracto cortice in vino potae. Si et febris ſit, ex aqua, aut ecligmate ex aqua mulſa, aut ex paſſo decoctae. *Plin. i*). Oleum ex delphica ad febres frigidas vtile eſt. *Idem.* RVELI. *k*) vltimum hunc *Plinii* locum, IO. BAVH. *l*) autem vtrumque repetit. Eandem pariter febrifugam lauri foliis ineſſe virtutem ex qualitatum equidem baccas inter atque folia conuenientia ſatis oppido clare apparet; polychreſtum vero, immo, vt nobis ſaltem ſingularis amicus noſter, experientiſſimus vtriusque medicinae doctor, IO. CHRISTOPH. TEVBELER, haud ſimplici vice perſuaſit, panchreſtum in ſingulis febribus intermittentibus, ne quartana quidem excepta, lauri folia ſuppeditant vſum. Enimuero Bruxellis, eodem plane tempore, quo ibidem ſub finem funeſtiſſimi ſuperioris belli ex Gallia redux modo laudatus medicus commorabatur, pro famoſiſſimo antifebrili arcano venditabatur pharmacum quoddam puluerulentum, quod praeſentaneam ſemper tuliſſe opem dicitur, quodque, ſit fides penes auctorem, ſequentem in modum paratum febribus intermittentibus laborantibus ita propinatur. Virentia lauri folia ollae ſuperne luto conglutinatae immittuntur, atque in plinthio exſiccata in puluerem rediguntur; huius autem pulueris exacto quinto vel ſeptimo paroxyſmo aliquot ante nouum febris acceſſum horis drachma dimidia vel vna in menſtruo vinoſo, aut, forte ſaltem in robuſtioribus atque ſumme ſeroſis ſubiectis, ſpirituoſo porrigitur: aeger vero aſſumto hoc medicamine per viginti et quatuor horarum ſpacium in lecto probe obtectus ſeſe contineat.

PESTILENTIA. Laurus delphicae folia trita olfactaque ſubinde, peſtilentiae contagia prohibent: tanto magis ſi et vrantur. *Plin. m*). Praeclare profecto hanc *Plinii* ſententiam *Herodianus* illuſtrat, vbi Commodum imperatorem in maxima peſte, ex medicorum conſilio, laurea um ad loca lauris abundantia ſeceſſiſſe commemorat. Mox nunc h. l. excitatum *Herodiani* locum ſubiungerem; nam *gratius ex ipſo fonte bibuntur aquae.* Aſt pro ſaeculi huius more raro immo rariſſime, de quo pariter et pridem conqueſti ſunt et adhucdum conqueruntur ſtrenui politioris doctrinae atque ad humanitatem ſpectantium diſciplinarum vindices, leguntur graeca, atque

h) Nomina auct. Enum. ſtirp. Helu. praemiſſ. p. 28.
i) Hiſt. nat lib. 23 c. 8 tom edit. Hard. 2 p. 320 ſeq.
k) Loc. cit.
l) Lib. cit. p. 413 ſeq.
m) Loc. cit.

que ita ſenſim ſenſimque in peius ruit ſtudium linguarum, quibus tamen neglectis nullus, quidquid nouatores dicant, certe ad ſolidioris doctrinae, ex veterum monumentis hauriendae, patet aditus. Sed earundem rerum fames erit, quarum nos hodie premunt faſtidia! Ita autem POLITIANO interprete *Herodianus n)* loquitur: *Per idem tempus accidit, vt ingens Italiam quidem vniuerſam peſtilentia occuparet: ſed in ciuitatem Romanam vehementius tamen ſaeuiret, vtpote quae et per ſe populo abundaret, et aduenas toto orbe confluentes exciperet. Quare magna iumentorum atque hominum ſtrages eſt conſecuta. Tum Commodus (ita ſcilicet quidam medicinae periti perſuaſerant) Laurentum ſeceſſit, quod frigidior ea regio ſit, ſiluisque a lauru multis opaca: a quo etiam regioni inditum nomen. Valere enim plurimum aiebant, ad aëris euitandam contagionem, cum odores laurorum, tum ipſarum amoenitates vmbrarum. Quod meatus ſenſuum, vt quidam dicunt, odoribus illis occupati neque admittant aera tabificum, et ſi maxime admiſerint, tamen eum maiore quaſi vi longe ſuperari.* Supra ex *Plinio* inſerta RVELL. *o*), IO. BAVH. *p*), atque RAIVS *q*) denuo memorant, quorum hic: *Herbae enim perpetuo virentes*, addit, *autoribus Helmontianis ſunt peſtis alexiteria, corruptioni reſiſtunt, ſeque defendunt contra aeſtum et frigus, vnde nobis plane ſignauit DEVS, illas plantas perennes ſemper eſſe ad manum pro quotidiano vſu generis humani, continent enim in ſe balſamum, omnis corruptionis propugnatorem.* SIM. PAVLLI *r*): *Tam folia quam baccae*, inquit, *ad praeſeruationem peſtis commendantur.*

PHTHISIS. *Αἱ δὲ δαφνίδες θερμαντικώτεραι τῶν φύλλων εἰσί· ποιοῦσιν δ' ἐκλειχόμεναι λεῖαι σὺν μέλιτι ἢ γλυκεῖ πρὸς φθίσιν. Dioſc. s*), quae, RVELLIO interprete: *Lauri baccae magis quam folia calefaciunt: ergo in eclegmate tritae cum melle vel paſſo proſunt tabi. Plinius t*) vero iisdem, quae ſupra ad tit. *Febris* primo collocauimus loco, mox ſubiungit: Proſunt et Phthiſicis eodem modo. RVELL. *u*): *Baccae cum melle vel paſſo tabeſcentibus proſunt.* Conſuli h. l. merentur DODON. *x*), DALECH. *y*), IO. BAVH. *z*), RAIVS *a*), alii.

Claſſis tertia certis tantum corporis humani partibus infeſta complectitur, quibus laurus mederi dicitur, vitia.

CEPHALAGIA. Folia lauri cum roſaceo trita capitis dolores, aut cum irino (ſubintellige oleo) corrigunt. *Plin. b*). Quidam iubent in capitis dolore impari numero baccas cum oleo conterere et calefacere. *Idem c*). *Marcellus Empir. d*): Ad capitis dolorem folia lauri, vel baccas, vel florem terere oportet cum aceto, et irinum oleum illis admiſcere: atque ita caput naresque perungere. RVELL. *e*): *Folia, quae tenera ſunt, trita capitis doloribus cum irino auxiliantur.* DALECH. *f*) atque IO. BAVH. *g*) vtrumque *Plinii* locum ſuis pariter pridem inſeruerunt voluminibus, quorum vero poſterior addit: *Non temere, extiſtimamus vtendum foliis lauri in inflammationibus oculorum et teſtium, nec etiam in capitis doloribus, quicquid dicat Plinius. Quod tamen doctioribus conſiderandum relinquimus.* IONSTONVS *h*) nihiloſecius, ni fallor, ex AMATI LVSIT. comment. ad *Dioſcoridem*: *Baccae in doloribus capitis*, inquit, *cum pyris ſylueſtribus contuſae fronti et temporibus imponantur.*

INFLAMMATIO OCVLORVM. Folia lauri cum polenta, quae tenera ſunt trita, ad inflammationes oculorum proſunt. *Plin. i*). RVELL *k*): *Folia*, ait, *quae*

n) Lib. I c. 12. *o*) Loc. cit. *p*) Loc. cit. *q*) Loc. cit. *r*) Libr. cit. p. 83. *s*) Lib. I c 107 p. 45. *t*) Loc. cit. *u*) Loc cit. *x*) Pempt. p 850. *y*) Hiſt. plant. lib. 3 p 352. *z*) Hiſt. plant. tom. I lib. 4 p. 413. *a*) Hiſt. plant. lib. 30 p. 1689. *b*) Loc cit *c*) Ibid. *d*) c. I p. 34. *e*) Lib. cit p. 183. *f*) Loc. cit. *g*) Lib. cit. p. 413 ſeq. *h*) Lib. cit. p. 229. *i*) Lib. cit. p. 320. *k*) Lib. cit. p. 183.

quae tenera ſunt trita collectionibus oculorum cum ruta auxiliantur. DALECH. *l*) ex codice manuſcripto in allato *Plinii* loco legit inflationes. IO. BAVH *m*) inſuper: *Nec diſplicet*, addit, *Ruellium legere pro inflammationibus, collectiones. Sed magis nobis probatur*, (forte ex Dalechampii codice miſto) *ſi legamus inflationes, quibus folia conferre poſſe neutiquam dubitamus.* Huc pariter ſpectat praecedenti affectui ſubiuncta huiusdem egregii botanici obſeruatio,

AVRIVM DOLORES, AVDITVS GRAVITAS. Τὸ *δὲ πίεσμα αὐτῶν* (*δαφνιδῶν*) *ὠταλγίαις καὶ δυσηκοίαις βοηθεῖ, σὺν οἴνῳ παλαιῷ καὶ ῥοδίνῳ ἐγχεόμενον. Dioſc. n*). h. e. *expreſſus ex eis* (*baccis*) *ſuccus, doloribus, grauitati et incertis aurium ſonis cum vetere vino et roſaceo vtiliter inſtillatur.* Aurium dolori et grauitati inſtillatur (ſuccus baccarum) cum vino vetere et roſaceo. *Plin. o*). Oleum ex delphica vtile eſt ad aurium dolorem, in mali punici cortice tepefactum. *Idem.* Haec fere omnia locis paſſim excitatis chartis ſuis probe inſcripſerunt RVELL. MATTH. CAMER. DALECH. IO. BAVH. RAIVS, alii. Inſuper autem MATTH. *p*): *Lauri tenerrimae ſummitates*, addit, *vna cum nardo in vino feruefactae, aurium grauitatem, et ſonos curant, ſi decocti calentis vaporem, per infundibulum in aures intromittant affecti.* Haec forte pariter legerat IONST. *q*), vbi ſcriberet: *Summitatum* (foliorum), *in aurium grauitate et ſonis, ſi cum nardo in vino decoquantur, et vapor excipiatur.* DODON. *r*) generatim: *Oleum*, ait, *humores circa dolentem locum digerit et diſcutit.* BOERH. *s*): *Oleum auribus inditum dolores compeſcit et auditum confortat.* Quod pariter SCHROEDERVS *t*) iam pridem iisdem verbis inculcauit.

ORIS VLCERA. Ad oris vlcera baccae ex oleo illitae vtiles ſunt. *Plin. u*). *Pliniana* haec IO. BAVH. *v*) atque RAI. *x*) lectoribus ſuis ſaltem iterum propinant.

VVVLAE RELAXATIO. Quidam iubent in remedio vuae iacentis quadrantem pondo baccarum foliorumque, decoqui in aquae ſextariis tribus ad tertias, eandem calidam gargarizare. *Plin. y*). *Idem* paullo poſt: Folia decocta ad tertias partes aquae, vuam cohibent gargarizatione. Conferri h. l. merentur RVELL. DALECH. IO. BAVH. et RAIVS locis paſſim allegatis. MATTH. *z*): *Reſtituunt baccae*, inquit, *prolapſam columellam ſi cum aequali pondere cumini, hyſſopi, origani et euphorbii melle excipiantur, et ſummo capiti calidae applicentur.*

ODONTALGIA. SCHROED. *a*): *Folia odontalgiam mitigant gargarizando.* Quae DALAEVS et BOERHAAVIVS locis paſſim excitatis iisdem plane verbis denuo lectoribus ſuis offerunt.

ORTHOPNOEA. Αἱ *δαφνίδες ποιοῦσιν ἐκλειχόμεναι λεῖαι σὺν μέλιτι ἢ γλυκεῖ πρὸς ὀρθόπνοιαν. Dioſc. b*) h. e. *Lauri baccae in eclegmate tritae cum melle vel paſſo proſunt orthopnoeae.* Orthopnoeam ſanant binae (baccae), detracto cortice in vino potae. *Plin. c*). *Idem* paullo ante: Folia tenera proſunt ſuſpiriis trita cum melle. RVELL. *d*): *Folia quae tenera ſunt ſuſpiriis cum melle trita commendantur.* Hic pariter conferendi ſunt DODON. DALECH. IO. BAVH. RAIVS locis plus ſimplici vice allegatis.

THORACIS RHEVMATISMVS. *Dioſcorides* loco orthopnoeae ſubuncto addit: *καὶ τοὺς περὶ θώρακα ῥευματισμοὺς. et thoracis rheumatismis.* Baccae ex aqua mulſa aut ex paſſo decoctae proſunt omnibus thoracis rheumatiſmis. Nam et concoquunt

D 2

l) Hiſt. plant. lib. 3 p. 352. *m*) Hiſt. pl. tom. 1 lib. 4 p. 413 ſeq. *n*) Lib. 1 c. 107. *o*) Loc. cit. *p*) Edit. C. B. p. 126. *q*) Lib. cit p. 229. *r*) Loc. cit. *s*) Hiſt. plant. p. 167. *t*) Pharmacop. lib. 4 cl. 1 p. 91. *u*) Loc. paſſim cit. *v*) Loc. cit. *x*) Loc. ſupra cit. *y*) Hiſt. nat lib. 23 c. 8 p. 321. *z*) Edit C. B. loc. cit. *a*) Loc. cit. *b*) Loc. ſupra cit. *c*) Loc. ſparſim cit. *d*) Nat. ſtirp. lib. 1 p. 183.

quunt pituitam et extrahunt. *Plin. e*). Vtramque hanc pariter patrum medicorum ſententiam mutatis ſaltem ſubinde quibusdam voculis denuo depromunt RVELL. MATTH. DODON. DALECH. CAMERAR. IO. BAVH. RAIVS, alii.

TVSSIS VETVS. Folia lauri commanducata atque deuorata per triduum terna, liberant a tuſſi. *Plin. f*). Tuſſim veterem ſanant binae lauri baccae) detracto cortice in vino potae. *Idem ibid.* Hoc quoque loco conferri poſſunt praefertim RVELL. DALECH. IO. BAVH. atque RAIVS, ille quidem in ſaepius laudato de natura ſtirpium opere, hi vero in ampliſſimis ſuis multoties excitatis plantarum hiſtoriis.

IECINOROSI. Ὁ δὲ φλοιὸς τῆς ῥίζης αὐτῶν ἡπατικοὺς ὠφελεῖ, τριωβόλου πλῆθος σὺν οἴνῳ εὐώδει πινόμενος. *Dioſc. loc. cit.* i. e. *Cortex radicis hepaticis prodeſt, trium obolorum pondere in vino odorato potus.* Ipſa radix iecinori prodeſt tribus obolis in vino odorato pota. *Plin. loc. cit.* Paullo poſt *idem*: Baccae ex oleo et aceto illinuntur et lieni et iocinori. *Galen. g*): *Radicis cortex minus quidem acris eſt et calidus, plus tamen amarus, habetque etiam adſtrictionis non nihil. Quamobrem et calculos confringit, et iecinori prodeſt, bibitur ex vino fragrante trium obolorum pondere.* DODON. *h*): *Noſtra aetas*, inter alia inquit, *baccis ad iecinoris, lienis, ac veſicae affectus vtitur.* Et paullo poſt: *Iecinoris ac lienis obſtructiones aperiunt.* Atque haec omnia potiſſimum ex antiquorum medicorum monumentis eruta iterum iterumque ſaltem denuo recitant RVELL. MATTH. DALECH. IO. BAVH. RAIVS, alii.

LATERIS DOLORES. Oleum ex delphica ad cerata acopumque, neruos laxandos, lateris dolores vtile eſt. *Plin. i*).. Conferri h. l. poſſunt RVELL, IO. BAVH aliique, qui *Plinii* inſiſtunt veſtigiis plantarum deſcriptores.

LIENIS AFFECTVS. In hunc pariter locum apprime quadrant fere omnia ſupra ad iecinoris affectus ex antiquorum pariter ac recentiorum penu depromta.

COLICA. IONST. *k*) *Elicitur ex baccis*, inquit, *oleum, ſingulari in neruorum reſolutione, frigidis morbis, flatulentia, caet. experimento.* Et paullo poſt: *Vires egregiae baccarum in colica, ſi in nodulo in vino macerentur, hoc ebibatur.* SCHROED. *l*): *Baccarum praecipuus vſus in colica*, reliqua. SIM. PAVLLI *m*): *Lauri foliis ad colicam abigendam in clyſteribus vtimur, vel horum loco electuario de baccis lauri Rhaſis, a cuius vſu emplaſtrum de baccis lauri ventri imponi poteſt.* Huc forte ſpectant illa *Plinii n*): Folia decocta ad tertias partes aquae potu alui dolores, inteſtinorumque mitigant. RVELL. libro et loco paſſim allegatis: *Folia*, inquit, *ad ternas aquae partes decocta alui dolores inteſtinorumque finiunt.* BOERH. lib. et loc. paſſim cit. *Baccae conducunt in colica.* Et paullo poſt: *Oleum laurinum conuenit in colica flatulenta.* LINN. *o*): *Vſus colica lochialis.*

VESICAE VITIA. Τὸ ἀφέψημα αὐτῶν (δάφνης λεπτοφ. καὶ πλατυτέρας) εἰς ἐγκαθίσματα τὰ περὶ κύστιν ἁρμόζει. *Dioſc.* loc. cit. h. e. *Decoctum earum (lauri latifoliae et tenuifoliae) in muliebres inſeſſus additum veſicae vitiis conuenit.* Decoctum ex his (puta lauri foliis, baccis et cortice) maxime e foliis prodeſſe veſicis conuenit. *Plin. p*). Hinc CAMERAR. *q*): *Opitulantur fotu omnes lauri partes vuluae et veſicae vitiis.* DODON. DALECH. IO BAVH., RAIVS, alii, etiam h. l. vt alibi paſſim *Dioſcoridis* ſaltem atque *Plinii* lectorum oculis iterum iterumque ſubiiciunt monumenta. GODOFREDVS *r*): *Foliorum decoctum*, inquit, *in matronatum inſeſſus et balnea additur, vteri et veſicae vitiis mederi dicitur.*

VRI-

e) Loc. cit. *f*) Loc. paſſim allegato. *g*) De ſimp. med. facult. lib. 6 c. 101.
h) Pempt. p. 850. *i*) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8. *k*) Dendrogr. p. 227. 229.
l) Pharmacop. lib. 4. cl. p. 91. *m*) Quadrip. bot p. m. 83. *n*) Lib. et loc. cit.
o) Mat. med. lib. 1 p. 65. *p*) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8 edit. Hard. tom. 2 p. 320.
q) Epit. p. 60. *r*) Mat. med. tom. 3 p. 699.

VRINAE DIFFICVLTAS. MATTH. s): *Lauri baccae cum triticeo furfure, iuniperi baccis et allio contritae, et vino ſubinde ſuper calenti tegula adſperſae, pubique admotae, vrinam ſuppreſſam prouocant.* DODON praeter ea, quae ſupra ieci, norofis ſuaſit: *Baccae*, inter alia inquit, *vrinas cιunt.* SCHROED. t): *Vſus praecipuus baccarum in menſibus et vrinis ciendis.* Eadem ſaltem denuo proloquitur DALAEVS u). HERM. x): *Baccae externe applicatae conueniunt in iſchuria.* Haec iisdem verbis leguntur apud BOERH. y).

LITHONTRIPTICVS VSVS. Ὁ φλοιὸς τῆς ῥίζης λίθȣς θρύπτει. *Dioſc.* z). i. e. *Cortex radicis calculos rumpit.* Ipſa radix calculos rumpit. *Plin* a). Conferri h. l. meretur *Galeni* locus, qui iam ſupra iecinoroſis ex lauri cortice medelam propinauit. RVELL. MATTH. atque CAMERAR. locis paſſim allegatis *Dioſcoridis* ſaltem veſtigiis inhaerent; DALECH. vero IO. BAVH. atque RAIVS et *Dioſcoridem* et *Plinium* et *Galenum* excitant. Dum vero h. l. lithontripticarum lauri virtutum mentionem iniicimus, ſimul nobis ſuccurrit non ſolummodo olim fuiſſe verum etiam hodie ſupereſſe in artis, cui litamus, opere alioquin exercitatiſſimos atque longo rerum ad medicinam pertinentium vſu ſatis comprobatos viros valdopere de omni lithontriptica medicamentorum virtute dubitantes: immo, quod magis mireris, quidam vbi dari huiusmodi medicamenta in veſica calculum comminuentia pertinaciſſime negant, mox non ſaltem vnice crudeles ſuas chirurgicas ſummopere commendant operationes; verum etiam cordatos atque de re medica immortaliter meritos viros contrariam ſententiam, rationis crebiorisque experientiae argumentis, vno verbo vtroque, cui ſcientiam noſtram ſuperſtructam nouimus fundamento, ſtabilire conantes, continuo conuitiis heroice proſcindunt, atque ita ex mente *Hippocratis* aut malignae naturae, aut ignorantiae euidentiſſima manifeſtant documenta. Qui ſi in chemicorum potiſſimum ſcholis ſaponum penitius rimati naturam atque indolem, ſimulque eorundem ſingularem experti eſſent in calculoſis efficaciam, haud ita pridem *Magdeburgi* nouo eoque ſane egregio documento comprobatam; non amplius certe in tanta ſcientiarum luce caecutirent, in quos apte quadrare videntur, quae alicubi vir ſummus, SPANHEMIVS, rei numariae oſoribus ſuggerit, dum: *Inſita eſt humanis ingeniis*, inquit, *conſuedo*, *dicam*, *an labes*, *vt quae ignorant*, *contemtu ſtrenue vlciſcantur*; *et ea ſolum apud eos commendationem habeant*, *ad quae vulgo illos*, *aut vitae inſtitutum*, *aut naturae propenſio reuocauit.* Quoties autem tales vel his ſaltem ſimiles, celebrium, atque poſt funera pariter aeterna laude digniſſimorum virorum vrnae ſuccenſentes, immortalibusque eorum meritis perperam obſcurationem minitantes conſidero, toties ſimul non ſine luctu memoranda animo obuerſatur illuſtris quondam Halenſium Celſi atque Ciceronis, IO. HENRICI SCHVLZII, memoria, cuius ruinis ſuperſtructa quosdam propediem palam magnifice exornanda adhucdum in animo voluere tropaea dicitur. Sed deſiſtant, ſuadeo, ſpurio ſuo genio nimium indulgentes, ni tranquillis SCHVLZII noſtri manibus bellum indicendo, atque ita ſimul aequos rerum arbitros laceſſendo publicam, eamque pro rei neceſſitate ſatis grauem experiri velint cenſuram; interim autem ſequentem, ſimilibus quondam θαυματȣργοις propoſitam, probe perpendant ſententiam: *Haec eſt ſciolorum et maleferiatorum natura, qua ſolent melioribus obtrectare magis, quam laude dignum quicquam praeſtare: hac ratione potius ſuam prodentes inuidiam et maleuolentiam, quam vt virorum bonorum et bene meritorum famam obſcurare poſſint.*

LVMBRICI. In tractatu Talmudico, *Gittin* b) legitur: לכרצא אנפקא דחמרא באטרפא דערא i. e. *Lumbrico (expellendo) inſeruit quartale (ſiue quartarium) vini* *cum*

s) Comment. in Dioſc. edit. C.B. p. 126. t) Loc. cit. u) Pharmac. loco ſupra cit. x) Cynoſ. mat. med. tom. 1 p. 287. y) Hiſt. plant. tom. 1 p. 166. z) Lib. 1 c. 107. p. m. 45. a) Loc. cit. b) Fol. 69. 2.

cum foliis lauri. MATTH. *c*): *Tenerrimae lauri cimae, vna cum calamintha, et ſale contritae, ex tepida aqua ſumptae, aluum concitant, pituitamque, et lumbricos celeriter eiiciunt.* Quam MATTH. ſententiam ſuis pariter voluminibus inſeruerunt DALECH. *d*), IO. BAVH. *e*), alii. IONST. *f*): *Oleum, quod ex baccis fit, egregie contra vermes et pediculos agit.*

Claſſis denique *quarta* agit de vitiis partium alterutri, potiſſimum autem ſequiori, ſexui propriarum, quibus medendi ſcopo haud raro adhibetur laurus.

VTERI VITIA. Τὸ ἀφέψημα αὐτῶν εἰς ἐγκαθίσματα τὰ περὶ μήτραν ἁρμόζει. *Dioſc. g*). Haec ita interpretatur RVELL. *Decoctum earum* (*lauri latifoliae et tenuifoliae*) *in muliebres inſeſſus additum, vuluae vitiis conuenit.* Decoctum ex his (puta lauri foliis, cortice, baccis), maxime e foliis, prodeſſe vuluis conuenit. *Plin. h*). Vtramque modo inſertam ſententiam RVELL. DODON. DALECH. IO. BAVH. RAIVS, alii, iisdem denuo recitant verbis. SIM PAVLLI loc. ſaepius exitato: *Lauri folia ad ditiorum matronarum balnea etiam vſurpantur, et ad corrigenda vteri vitia, ſterilitatemque abigendam a medicis imperantur.* Huc pariter ſpectant loca ſupra *veſicae vitiis* ex CAMER. et GODOFREDO ſubiuncta.

MENSES. Proſunt (folia lauri) menſibus feminarum cum oleo cocta. *Plin. i*). Baccae menſes trahunt appoſitae tritae, vel potae. *Idem ibid.* RVELL. DALECH. IO BAVH. IONST. alii, etiam h. l. nil niſi a *Plinio* accepta lectoribus ſuis denuo offerunt monumenta. SCHROED. loco alibi paſſim excitato: *Extrinſecus folia promouent menſes in ſuffitu ac balneo.* HERM. *k*): *Foliorum ſuffitus menſes prouocat.* IDEM *l*): *Baccae ſpecifice praedicantur in vteri vitiis.* Et paullo poſt: *Baccae menſes pellunt.* BOERH. *m*): *Baccae conducunt in menſibus obſtructis prouocandis.*

PARTVS DIFFICILIS. Sunt qui celeritati partus multum conferre putent radicem, acetabuli menſura, in aqua potam: efficacius recentem quam aridam. *Plin. n*). Haec forte *Plinius* ex *Hippocrate* didicit, qui radicis corticem partus celeritati plurimum conferre nos edocet. MATTH. *o*): *Septem lauri baccae, a praegnantibus propediem parituris, cum ſe dormitum recipiunt, deuoratae felicem facilemque partum praeſtant.* RVELL. *p*) ſolius *Plinii*, DALECH. *q*) vero, et IO BAVH. *r*) ſimul MATTHIOLI ſententiam excitant. IONST. *s*) ex *Hippocratis*, niſi me omnia fallunt, monimentis haec habet: *Cortices radicis lauri ad partum facilitandum.* SIM. PAVLLI *t*): *Baccas parturientibus tenuioris ſortis ſex vel ſeptem, vt foetum citra moleſtiam accelerent, Matthiolus deuorandas concedit.* HERM. *u*): *Baccae externe applicatae conueniunt in doloribus poſt partum.* Et paullo poſt: *Baccae foetum pellunt, hinc ſex vel ſeptem in partu difficili deuorantur.* Priorem HERMANNI locum magnus BOERHAAVIVS *x*), vel ſaltem impurus codicis Boerhaauiani editor, ad verbum repetit.

SECVNDINAE. DODON. *y*): *Baccae menſes mouent; vrinas ciunt, et ad ſecundinarum expulſionem faciunt.* Eadem iisdem verbis IO. BAVH. *z*) commemorat.

TE-

c) Comment. in Dioſc. edit. C. B. 126. *d*) Hiſt. plant. lib. 3. p. 352. *e*) Hiſt. plant. lib. 4. p. 414. *f*) Dendrogr. p. 229. *g*) Lib. I c. 107 p. m. 44 ſq. *h*) Loc. cit. *i*) Loc. cit. *k*) Cynoſ. mat. med. tom. I p. 498. *l*) p. 287 et 289. *m*) Hiſt plant. tom. I p. 166. *n*) Hiſt. nat. lib. 23 c. 8 p. m. 321. *o*) Comment. in Dioſc. edit. C. B. p. 126. *p*) Nat. ſtirp. lib. I p. 184. *q*) Hiſt. plant. lib. 3 p. 352. *r*) Hiſt. plant. lib. 4 p. 414. *s*) Dendrogr. p. 229. *t*) Quadrip. bot. p. m. 83. *u*) Lib. cit. *x*) Lib. et loc. cit. *y*) Pempt. p. 850. *z*) Lib. cit. p. 413.

TESTIVM INFLAMMATIO. Folia cum polenta, quae tenera ſunt, trita, ad inflammationes oculorum: cum ruta, teſtium proſunt. *Plin. a*). RVELL. *b*) autem: *Folia*, inquit, *quae tenera ſunt trita collectionibus oculorum cum ruta, teſtium cum roſaceo, auxiliantur.* IDEM paullo ante*: Viride folium inflammationes omneis cum pane et polenta mitigat.* DALECH. et RAIVS modo inſertum *Plinii* locum pariter denuo lectorum ſuorum oculis ſubiiciunt; IO. BAVH. vero *plinianis* iſtis, vt iam ſupra monuimus, non temere in oculorum et teſtium inflammationibus, aut etiam in capitis doloribus lauri foliis vtendum eſſe addit; quam RAIVS quoque operi ſuo inſeruit obſeruationem.

Atque haec, potiſſimum quod ad *lauri ſimplicium vſum medicum* attinet, ex veterum pariter ac recentiorum monumentis eruta ſufficiant. His itaque feliciter expeditis nunc ad indagandas quoque ex lauro *praeparatorum* atque quorundam *officinalium*, quae quidem lauri ſimplicia aut praeparata ingrediuntur, *compoſitorum vtilitates* me mox accingerem, niſi *animalia* quaedam, *lauro*, vt perhibent, *ſibi medentia* hunc praeſertim ſibi expoſcerent locum; quem iis, quamuis bruta ſint, haud denegabimus: praeſertim quum animantia medicaminum loco herbis vtentia ſaepe hominum doctores fuiſſe dicantur; qua de re conſuli meretur EMANVEL KÖNIG *c*). Quemadmodum autem inprimis lucidiſſimum botanicorum ſidus, celeb. LINNAEVS *d*), probe obſeruauit venenatas quasdam, animalibus nocuas, ab iisdem intactas relinqui plantas; ita pariter iam antiquiores bruta medicaminum loco certis ſubinde ad debellandas aegritudines ſuas vti plantis varii pridem annotarunt auctores. Praeter haec plura lectu certe digniſſima de animalibus tam in LINNAEI dedicatione ad *Hortum Cliffortianum*, quam in diſſertatione, *Curioſitas naturalis* inſcripta, quae in eiusdem magni nominis botanici *Amoenitatibus academicis* vltimum adepta eſt locum, occurrunt momenta.

Sed redeamus ad *laurum animalibus* quibusdam cognitum ſibique *vindicatum vſum.* Palumbes, gracculi, merulae, perdices, lauri folio annuum faſtidium purgant *Plin. e*). *Idem* paullo poſt: Coruus occiſo chamaeleone, qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit. RVELL. *f*) priorem ſaltem *Plinii* iisdem verbis recenſet iterum ſententiam. BOD. A STAPEL *g*) autem: *Columba*, inquit, *quoties aegrotare incipit, lauri folio decerpto, ſibi ipſi medetur. Palumbes, gracuiae, merulae, perdices, lauri folio annuum faſtidium purgant. Coruus occiſo chamaeleonte, lauro infeſtum virus extinguit. Picam fama eſt, vbi aegrotat, lauri folia in nidum congerere, illisque morbum arcere. Ob has aliasue cauſas Aegyptii ſacerdotes in hieroglyphicis, per picam lauri folium ore tenentem, indicant hominem ſibi medentem.* IO. BAVH. *h*): *Huius autem arboris*, ait, *vim prope diuinam non ignorant aliquot animalia.*

a) Lib. cit. p. m. 120. *b*) Lib. cit. p. 183. *c*) Regn. vegetab. ſect. 3 c. 15 p. 611. *d*) Amoen. acad. p. 448. 524. 525 et alibi. *e*) Hiſt. nat. lib. 8. circa finem cap. 27. *f*) Nat. ſtirp. p. 183. *g*) Theophr. Ereſii hiſt. pl. p. 186. *h*) Loc. cit.

malia. Nam coruus auis, occiſo chamaeleonte, qui etiam victori nocet, lauro infeſtum virus enecat. IDEM paullo poſt: *Aegyptiorum Hieroglyphica picam folium lauri ore tenentem pingunt, quo deſignabant hominem ſibi ipſi medentem. Nam pica aegrotans dicitur lauri folia in nidum congerere et illis morbos arcere. Palumbes praeterea, graculi, merulaeque, perdices quoque, vt noxias beſtiolas fugent, nidulis ſuis lauri folia ingerere traduntur. Scribit enim Secundus, eas annuum faſtidium lauri folio purgare. Refert inſuper Horus Apollo in Hieroglyphicis literis, palumbum quoties aegrotauerit, lauream frondem in ſuo nido apponere, quo remedio ſtatim reconualeſcit. Quamobrem Aegyptii hominem ſibi ex oraculi reſponſo vtiliter medentem oſtendere volentes, vt modo dictum, picam, vel ſecundum alios palumbum, lauri folium tenentem effigiant. Columbae etiam pullis ſuis contra faſcinationes praecauentes, laurinos ramulos nidis reponunt. Anſer folium lauri non exeſt, nequidem ſi vel fame prematur, attingit: nec roſam laurinam, neque etiam vi adhibita. Praeclare enim intelligit, ſi id commederit, vita ſe privatum iri.* Pleraque haec ex *Aeliano i)* depromta ſunt. *Lucianus* equo aſinoque lauri cibum perniciofum commemorat. Hinc forte IONST. *k)*: *Foliis ſibi palumbes annuum faſtidium et aegritudinem purgant; picas a morbis, columbas a faſcinationibus, ſi in nidos congerantur, praeſeruant: anſeribus, equo, aſino, ſi commedantur, lethalia eſſe dicuntur.*

Sed pedem hinc moueo, meque tandem etiam ad ſtrictim enarrandos ex lauro *praeparatorum atque* quorundam, iam ſupra memoratorum, *compoſitorum officinalium vſus* conuerto.

Oleum laurinum, cuius multiplex, vt ſupra iam monuimus, in veterum pariter ac recentiorum monumentis occurrit parandi modus, potiſſimum autem quod in noſtris aſſeruatur officinis, fere ſaltem inunctionibus ad ventris tormina lenienda omnemque ſpaſmum demulcendum inſeruit; ſubinde tamen praeſertim in torminoſis inteſtinorum vt et pituitoſis colicis atque hyſtericis affectibus additur clyſteribus. Sed audiamus quibusnam alii pariter vſibus oleum laurinum iudicauerint aptum. DODON. *l)*: *Oleum ex baccis expreſſum*, inquit, *aut decoctione elicitum, ſcabiem aut ſimiles cutis foeditates cito curat; caeſis atque ab alto delapſis quoque illitum prodeſt; ſuggilata tollit et ſanguinem concretum, et humores circa dolentem locum digerit et diſcutit.* DALECH. *m)*: *Oleum laurinum calidum eſt*, ait, *eſſentiae tenuis, aperit, mollit, diſcutit. Ob haec intemperantiam omnem frigidam ſolam, et cum pituita, vel flatibus ſanat, et ab his colo dolenti clyſtere infuſum mire prodeſt, vt partibus omnibus cerebri illitum, articulis, ventriculo, ſpinae dorſi, paralyſi, horrori febrili: denique omnibus neruorum vitiis, algoribus, laſſitudinibus, catarrhis, aurium doloribus, hepatis, lienis, renum, vteri frigidis affectibus.* IO. BAVH. *n)*: *Oleo laurino vis ineſt excalefaciendi, emolliendi, ſpiracula venarum aperiendi, et laſſitudines diſcutiendi. Quin et malis neruorum omnibus, doloribus aurium ac deſtillationibus confert: renum vero vitio ex frigore contracto laborantibus illitum eſt praeſtantiſſimum, et maxime, ſi quid aliud, vtile. Ob vim eius excalefactoriam paralyticis, ſuggilatis, capitis doloribus, inueteratis deſtillationibus, auribus in calyce punici calefactum illinitur.* Et paullo poſt: *Scabiem detergit et impetigines, in balneo illitum: verum eo conuenit abſtinere in lichenibus, pſoris, et aliis inflammationem minantibus, et in reliquis calidioribus et bilioſis temperaturis. Vermes et pediculos tam agreſtes, quam domeſticos et lendes enecat,* (immo hoc, RAIO teſte, quodcunque oleum efficit). *Capitis furfures emendat: alopecias et quae ophiaſis nominatur, corrigit. Ad hos enim vſus in balneo illinendum: poſtea vero oportet vino et melle, vel ouo cum melle et foenugraeci farina detergere. Cauendum ne capiti calorem ſentienti hoc admoneatur.*

i) De animal. nat. lib. 1 c. 37. et lib. 5 c. 29. k) Dendrogr. p. 227.
l) Pempt. 850. m) Hiſt. plant. lib. 3 p. 353. n) Hiſt. plant. lib. 4 p. 415.

tur. Ano ſuppoſitum vel iniectum, haemorrhoidum dolorem mitigat, et ex his profluentem ſanguinem ſiſtit. Hactenus ille. Haec fere omnia pariter operi ſuo inſeruit RAIVS *o*), qui vero: *In genere vtile eſt,* addit, *in affectibus frigidis maxime exterius illitum; intus ſumptum nauſeam mouet.* CASP. HOFMANNVS *p*) in triginta annorum opere: *Olei laurini vſus,* inquit, *in omnibus affectibus frigidis. Verum quia non facimus ipſi, ſed alibi facto vtimur, cauto opus eſt. Eſt enim calidiſſimum et vſu externo facile inflammat.* SIM. PAVLLI *q*): *Oleo ſi pubes et pecten mulierum inungatur, medetur in frigidis vteri malis, partibus etiam ſcabie paralyſique laborantibus.* Mox vero idem ſubiungit: *Vulgo autem minime auſcultandum, quod ſolet ſcabie infeſtatorum artus, oleo laurino mercurio viuo remiſto inungere,* reliqua. IO. BOECKLERVS *r*): *Oleum laurinum expreſſum rarefacit, aperit, et emollit, conuenit in affectibus vteri frigidis, in flatibus, ſpaſmo flatulento grauidarum, in colica, paralyſi, roborat neruos, reſoluit tumores, in ſcabie ſaepiſſime vſurpatur, et quidem in hoc vltimo morbo eſt remedium triuiale, ſi ſcilicet purgato aliquoties corpore et praemiſſis diapnoicis ſanguinemque mundificantibus, ſulphur aut flores ſulphuris admiſceantur et externe corpori ſcabioſo illinatur, cuius tamen tutior vſus, ſi ſal tartari admiſceatur. Prodeſt quoque contra pediculos, et furfures capitis, nec non maculas cutis.* Celeb. IO. HENR. SCHVLZIVS *s*): *Oleum laurinum eſt neruinum et carminatiuum, ad omnes affectus frigidos proficuum. Seorſim ad lumbricos commendatur: itemque ad horrores febrium intermittentium minuendos, ſpinae dorſi illinitur. Interne rarius adhibetur. Dioſcorides vino veteri et oleo roſaceo mixtum ad aurium dolores et auditus grauitatem inſtillare iubet.* Tandem GODOFREDVS *t*), ſupra memoratis ſuis oleis lauri expreſſis, quorum alterum procul dubio noſtrum eſt oleum laurinum, ſubiungit: *Haec ambo olea cum eſſentiali oleo* (quod nobis oleum lauri ſtillatitium aut diſtillatum audit,) *viribus conueniunt, ſed longe debilioribus. Interne ad grana decem vel duodecim praeſcribuntur. Sed ſi nimia quantitate exhibeantur, nauſeam excitant. Externe frequentius vſurpantur illita ſolitaria vel cum aliis vnguentis vel emplaſtris admiſta.* Et paullo poſt idem: *Haec olea aduerſus ſcabiem commendantur, ſed nihil proſunt niſi admiſto ſulphure, cuius ingratum odorem emendant.* Quae de olei laurini viribus et vſu in PHARMACOPOEIA ARGENTORATENSI *u*) leguntur momenta, ea ſingula a celeb. BOECKLERO HERMANNI cynoſurae mat. medicae addita paullo ante his pagellis iam inſerta ſunt; quae vero in PHARMACOPOEIA AVGVSTANA RENOVATA *v*) huc pertinentia celebrantur documenta, quoad maiorem partem ex IO. BAVHINO deprompta videntur.

Oleum laurinum diſtillatum, quod, vt alibi iam innuimus, ſubtilius, penetrantius et multo calidius eſt oleis lauri expreſſis, hodie fere ſaltem emplaſtris ſtomachicis adfunditur, interne autem idem ad diſcutiendos potiſſimum flatus, et colicos dolores ſedandos modeſte adhibendum peritiores, atque in Aeſculapii palaeſtris exercitatiores ſuadent medici. SCHROED. *x*): *Oleum ſtillatitium,* inquit, *diſcutit inſigniter flatus ac ventoſitates, praecipue in ſpaſmo gravidarum, vt et in colica; ſiderata membra illitu reſtituit, auribus inditum dolores compeſcit, auditumque confortat, delet impetigines, lentigines et quaſcunque faciei maculas. Denique ichoroſis capitis vlceribus medetur, phthiriaſin et tineas curat.* Eadem haec pariter exſcripſit atque ſplendido ſuo operi inſeruit RAIVS *y*); immo qui in BOERHAAVII *z*) ſaepius allegato codice de oleo lauri-

o) Hiſt. plant. lib. 30 p. 1689. *p*) De medicam. offic. lib. 2 c. 123 p. m. 280. *q*) Quadrip. bot. edit. nouiſſ. p. 83. *r*) Hermanni cynoſ. mat. med. tom. 1 p. 259. *s*) Praelect. ad diſpenſat. boruſſo-brand. p. 213. *t*) Mat. med. tom. 3 p. 700. *u*) p. 110. *v*) p. 188. *x*) Pharm. med. chym. lib. 4 cl. 1 p. 91. *y*) Hiſt. plant. lib. 30 p. 1689. *z*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 167.

laurino ſpargitur, non aliunde certe quam hinc clam depromptus videtur vſus. EMAN. KOENIG *a*): *Oleum deſtillatum*, ait, *intus ad guttulas quinque datum mirabile eſt anticolicum.* HERM. *b*): *Oleum baccarum lauri deſtillatum diſcutit, flatus pellit, contra colicam et paſſionem hyſtericam prodeſt, ſpaſmo flatulento medetur, in paralyſi, in doloribus poſt partum pubi et pectini muliebri illitum, conducit quoque ad menſium ſuppreſſionem, dolores aurium ſiſtit et maculas cutis delet: Doſis guttae tres, quatuor, caet.* Haec pariter quoad maximam partem ex DISPENSAT. ARGENTORATENSI *c*) tranſcripta HERMANNO ſuo adnotauit BOECLERVS. GEOFFROY *d*): *Laudatur imprimis interne ad flatus diſcutiendos, colicos dolores ſedandos, paſſionem hyſtericam compeſcendam, et in doloribus poſt partum. Verum in calidis et bilioſis temperaturis et in inflammatoriis affectionibus ab eo abſtinendum. Doſis a guttis III ad IV, ſacchari fruſto affuſis et poſtea cum liquore conueniente miſtis. Aduerſus colicos dolores carminatiuis clyſteribus additur. Externe illitum neruorum affectibus a frigore ortis conducit: in paralyſi et iſchiadicis doloribus prodeſt. Pubi quoque et pectini muliebri illinitur contra paſſiones hyſtericas, colicos dolores poſt partum, et menſium ſuppreſſionem a cauſſa frigida.*

Emplaſtrum de baccis lauri eſt carminatiuum, atque praeſertim in flatulentis affectibus, imbecillitate ventriculi vt et ad ſedandos vomitus nimios haud contemnendos ſpargit vſus. DALECH. *e*): *Ventriculi, inteſtinorum, hepatis, renum, veſicae, vteri, et partium aliarum dolorem, a flatibus, aut intemperie frigida ortum, placat. Quare in colico dolore, a flatu et pituita ſalubriter calidum ventri imponitur, vacuata plenitudine: in clyſtere quoque iniicitur vncia vna, vel ſeſcuncia, cum caeteris eodem pertinentibus. Inflammationem quamuis, id eſt a flatu tenſionem, et tumorem, eadem ratione iuuat.* IDEM paullo ante emplaſtri huius potiſſimum ex MESVAE praeſcriptione compoſitioni ſubiungit: *Si cyperi ſeſcunciam miſceas, et ſtercus caprae, aut vaccae ſiccum ad pondus omnium, ad hydropem fit mirabile.* Singula haec iisdem plane verbis leguntur pariter apud IO. BAVH. *f*), qui ſaltem diuerſum ab hoc emplaſtro eſſe malagma διὰ δαφνίδων *Galeni* obſeruat. RAIVS *g*): *Emplaſtrum laurinum*, inquit, *ad hydropem, ad dolores a flatibus aut cauſſa frigida ortos, doloremque colicum vtile eſt.* CASP. HOFM. *h*): *Emplaſtri de baccis lauri variae ſunt deſcriptiones, vſusque fere eſt in colicis.* HERM. *i*): *Emplaſtrum de baccis lauri ventriculi, inteſtinorum, iecoris, renum, veſicae, vteri et partium aliarum dolorem a flatibus, aut a frigida, vt loquuntur, intemperie ortum, ſanat.* In PHARMACOPOEIA ARGENTORATENSI *k*) totidem verbis emplaſtri huius celebratur vſus; idem fit in PHARMACOPOEIA AVGVSTANA RENOVATA *). IO. HENR. SCHVLZIVS *l*): *Maxima ſui parte emplaſtrum de baccis lauri debetur* MESVAE, *qui in eo tantum a nobis abiit, vt ceram, terebinthinam et oleum, in deſcriptionibus noſtris requiſita, eo conſilio omittat, quo poſſit etiam per clyſteres iniici. Commendatur ad omnem dolorem ventriculi, inteſtinorum, veſicae et matricis a cauſſa frigida ortum. Hydropicorum, praeſertim tympaniticorum, abdominibus imponere iubet addito puluere radicis cyperi et larga quantitate ſtercoris caprae aut vaccae ſicci et in puluerem redacti. Commode etiam additur puluis cumini, aut oleo eius malaxatur.*

Electuarium de baccis lauri, hodie tantum, et quidem rarius, additur clyſteribus, cuius locum in torminoſis, pituitoſis et colicis inteſtinorum affectibus, vt et in hyſtericis paſſionibus, ex recentiorum medicorum ſententia oleum laurinum occupat. IO. BAVH. *m*): *Electuarium de baccis lauri, cur a lauro nomen acceperit non videmus. Sunt enim in eo electuario efficaciora et quantitate maiora, quam ſit laurus.* RAIVS *n*): *Electua-*

a) Reg. veget. ſect. 4 p. 893. *b*) Loc. cit. *c*) Cl. 14 p. 117. *d*) Mat. med. tom. 3 p. 697. *e*) Lib. cit. p. 353. *f*) Loc. cit. *g*) Loc. cit. *h*) Loc. cit. *i*) Loc. cit. *k*) pag. 73. *) p. 222. *l*) Lib. cit. p. 104. *m*) Loc. cit. *n*) Loc. cit.

Electuarium de baccis lauri flatus diſſipat. HERM. *o*): *Carminatiuum eſt, diſcutit, colicae flatulentae, vrinae difficultati et paſſioni hyſtericae medetur, laudatur quoque ad menſes ciendos. Doſis eſt ad drachmam vnam vſque; ſed vix amplius interne datur, potius autem enematibus carminatiuis et laxantibus ad vnciam vnam et vltra admiſcetur.* Haec quidem, vt plura ſupra celebrata, ſi dicendum quod res eſt, potius *boecleriana,* quam *hermanniana,* dici merentur; vel ſaltem ea, quibus celeb. IO. BOECLERVS inter alia HERMANNI cynoſuram materiae medicae ſubinde etiam ex Pharmacopoeia *argentoratenſi p*) depromptis egregie exornauit diuitiis. IO. HENR. SCHVLZE *q*): *Electuarium de baccis lauri*, inquit, *eſt inuentum Rhaſis, et in colica a cauſa frigida, auellanae magnitudinis, cum vncia vna vini calefacti, repetitis vicibus ſumere iubet*, reliqua. Et paullo poſt: *Enimuero hodie rarius intro ſumitur, et potius enematibus deſtinatur, quibus vsque ad vnciam et vltra, cum oleis et ſtimulo ſalino, inditur, quoties flatulentia moleſtiam creat.* PHARMACOP. AVGVSTAN. *r*): *Commendatur ad colicam et iliacam paſſionem; ac doloribus inteſtinorum ex cauſſa frigida vel flatuoſa opitulatur. Vnde adhibetur vtiliter enematibus, flatus vel euocantibus, vel diſcutientibus.* GODOFR. *s*): *Ex lauri baccis electuarium de baccis lauri vulgo dictum conficitur, ad colicos affectus et vteri morbos commendatum.*

Reliquorum ſupra allegatorum compoſitorum, quae ſubinde vel laurus, vt aiunt, in ſubſtantia, vel eius ſaltem praeparata ingrediuntur, vtilitates medicas hic fuſius ex auctorum monimentis euoluere ſuperſedeo; in primis cum eadem proprie non ad hanc noſtram ſpectent tractationem. Interim tamen ne aliquid prorſus neglexiſſe videar, ſedulo excitabo atque digito quaſi commonſtrabo auctorum loca, plura h. l. ſcire geſtientibus indaganda. Singulorum autem ſupra memoratorum huius generis compoſitorum vſus largiſſima manu offerunt celeb. IO. HENR. SCHVLZE *t*), PHARMACOPOEIA ARGENTORAT. *u*), PHARMACOP. AVGVSTANA RENOV. *w*), atque DISPENSAT. BORVSS. BRANDENB. *x*).

VSVS OECONOMICVS. *Culinis* fere magis quam vſui medico hodie lauri folia inſeruiunt, atque vel ornandis vel condiendis ferculis creberrime adhibentur. Conf. DODON. IO. BAVH. HERMAN. GODOFRED. locis paſſim excitatis.

Olim pariter non ſolum in conuiuiis lauro *menſas condecorabant*, verum ipſis cibariis, praeſertim autem veterum *bellariis* frequens foliorum lauri erat vſus, quippe quae et *muſtaceis*, quae lenia erant ad ſtomachum reconciliandum cibaria, ſub coctione addebantur. De veterum muſtaceorum praeparatione conſulendus eſt *Cato y*). Quoniam vero idem cibi genus ſuppoſitis lauri foliis decoquebatur olim; hinc quum quis ab aſſumpto muſtaceo paullo ſerius aduenisſet, facete illum *in muſtaceo laurum quaerere* dicebatur; quod idem eſt ac illud *poſt feſtum venire.* Caeterum autem idem adagium appoſite ſatis dici conſueuerat de iis, qui ex minimis cupide aucupabantur gloriam. Quapropter *Tullius z*) de Bibulo, quum iam profligatis a *Cicerone Amani* montis hoſtibus, vt nonnihil gloriae captaret, ſuperueniſſet, ad *Atticum* ſalſe ſcripſit, Bibulum in *Amano* coepiſſe laureolam in muſtaceo quaerere. Qui porro vinum ſibi nocere nolebant, aut vbi iam vinoſi eſſent, *ſobrietatem mentiri* conabantur, lauri folia maſticabant, vt ita ſuauem emitterent halitum, oriſque obtunderent graueolentiam. Corona tamen laurea, *Athenaeo a*) teſte, in compotationibus inutilis eſt. Trahit enim, vt aiunt, ſua caliditate, ac partium tenuitate ſpiritus, vinique

o) Loc. cit. *p*) Pag. 37. *q*) Lib. ſupra cit. p. 78 *r*) pag. 164. *s*) Lib et tom. cit. p. 701. *t*) Praelect. ad diſpenſat. boruſſo-brand. p. 113. 90. 119. 121. 377. 65. 422. 428. *u*) pag. 86. 88. 89. 63. 213. *w*) p. 227 229. 160. 172. 214 *x*) Edit. Erford. p. 57 caet. *y*) De re ruſtica cap. 121. edit. geſnerianae p. 89. *z*) Epiſt. ad attic. lib. 5. ep. 20. *a*) Lib. 15. p. 675.

nique vapores ad caput. Conſuli h. l. merentur BOD. A STAPEL *b*), IO. BAVH. *c*), IONST. *d*), atque cl. WAGNER *e*).

Aduerſus *boum coraginem* prodeſt decoquere laurum, et ea calida fouere terga, multoque oleo et vino confeſtim ſubigere, ac per omnes partes apprehendere et attrahere pellem, idque optime fit ſub dio, ſole feruente. *Columell. f*). Idem animalis genus *cephalalgia*, h. e. capitis dolore, torquetur: quod tunc dignoſcitur, vbi aures demittens non comedit: tum foliorum lauri, quantum manus apprehendit, in os iniicies. IO. BAVH. *g*). Bubus medicamentum: ſi morbum metues, ſanis dato ſalis micas tres, folia laurea tria, porri fibras tres, caet. *Cato h*). *Columella i*) boues circa autumnum viridi fronde laurea ſatiari vult.

Lauri folia in aqua marina decocta omnes *pulices* in peluim vt ingrediantur, compeſcere dicitur. *Oeſtrum*, ſiue *tabanus* bouem aliaque quadrupedia in amentiam praecipitare ſolent, maxime per aeſtiuos calores: aduerſus quas moleſtias, ſi lauri baccam contuderis, et in aqua coxeris, et eo loco vbi boues depaſturae, aut incubaturae ſint, inſperſeris, proderit.

Rubigo, maxima ſegetum peſtis, lauri ramis in aruo defixis tranſit in folia ex aruis. *Plin. k*). Hinc MATTHIOL. *l*): *Laurus perpetua fronde viret*, inquit, *tantaque pollet vi, vt eius ramis in aruo defixis, rubigo, maxima ſegetum peſtis, abigatur, tranſeatque in earum folia ex aruis.* Apud *Columellam*, a quo haec deſumpta eſſe IONSTONVS *m*) autumat, numquam ſimile quid me legiſſe recordor. RVELL. *n*), DALECH. *o*), atque IO. BAVH. *p*) hoc pariter loco euolui merentur.

Ad *igniaria* etiam boni genii plantam ſatis aptam iudicauit antiquitas. Calidae ſunt laurus, edera, et omnes e quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc vſus in caſtris, paſtorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facillimo conceptu. Sed nihil edera praeſtantius quae teratur, lauro quae terat. *Plin. q*). *Duobus modis*, *Seneca r*) inquit, *apud nos fit ignis: vno, ſi excitatur ſicut ex lapide percuſſo: altero, ſi attritu inuenitur, ſicut cum duo ligna inter ſe diutius trita ſunt. Non omnis hoc tibi materia praeſtabit, ſed idonea eliciendis ignibus: ſicut laurus, hederae, et alia in hunc vſum nota paſtoribus.* Atque haec ipſi *Theophraſto s*), botanices parenti, iam pridem ante *Plinium* ignota haud erant, qui: Θερμὸν δὲ καὶ κιττὸς, καὶ δάφνη, καὶ ὅλως ἐξ ὧν τὰ πυρεῖα γίνεται. *Edera quoque calida eſt, et laurus, atque in totum omnes, quibus facere ignaria ſolebant.* Sed de his plura apud modo excitatum *Theophraſtum* in lib. cit. cap. 10. *Sane plerique etiamnum paſtores*, TRAGVS *t*) inquit, *coacto iſto igne (ſic enim a germanica voce Nothfeur dicere poſſumus) ad multas vtuntur ſuperſtitiones, quae ſeductae et miſerae plebi longe magis arrident, quam veritas ipſa.* IONST. *u*): *Ex ligno fiebant igniaria. Quin ſi exſiccatae ramus frequentius affricetur ramo, ſuper aſperſo ſulphuris puluere, ignis ſtatim exſilit.*

Quia

b) Comment. ad Theophraſt. Ereſ. p. 186. *c*) Hiſt. plant. tom. 1 p. 415. 416. *d*) Dendrogr. p. 227. *e*) Laur. ex omni antiquit. erut. p. 169. 206 et 208. *f*) Scriptores rei ruſtic. edit. celeb. IO. MATTH. GESNERI pag. 582.
g) Lib. cit. p. 414. *h*) Cap. 70. *i*) Lib. 6 cap. 3 p. m. 575. *k*) Hiſt. nat. lib. 18 c. 17. edit. Harduin. tom 2 p. 122. *l*) Comment. in Dioſc. lib. 1. edit. C. B. p. 126. *m*) Dendrogr. p. 228. *n*) Lib. cit. p. 183. *o*) Lib. cit. p. 354. *p*) Lib. cit. p. 416. *q*) Hiſt. nat. lib. 16 c. 40. edit. Harduin. tom. 2 p. 35 ſq. *r*) Natur. quaeſt. lib. 2 c. 22 p. m. 532. *s*) Hiſt. plant. lib. 5 c. 4. *t*) Hiſt. ſtirpium parte 3 c. 53. *u*) Dendrogr. p. 227.

Quia laurus eſt ſpongioſa aut rara corpore; hinc quidam ſenibus pulchros et valde leues *baculos* ex lauro parant. DALECH. *x*), IO. BAVH. *y*).

Caſſianus Baſſus z) ne *vinum* a *fulmine corrumpatur*, vini vaſa ramis laureis operiri iubet. Conf. BOD. A STAPEL *a*) atque cl. IO. GERARD. WAGNER *b*).

Quod laurus autem *vitem offendat*, ea de re iisdem fere verbis certiores nos reddere conantur *Theophraſtus c*), atque *Plinius d*), quorum hic: *Quorundam natura*, inquit, *non necat quidem, ſed laedit odore, aut ſucci mixtura: vt raphanus et laurus vitem.*

OBSERVATIO.

Abſoluta itaque de lauri viribus et vſu tam medico quam oeconomico prolixiore tractatione, oportune hoc loco monendum ſuccurrit, nondum in his oris exoleuiſſe fruſtraneum laborem ſubinde *per ignem chemicum indagandi plantarum vires.* Adhucdum enim idem ſibi aliisque haud pauci perperam perſuadent medici, ſicut pleraeque mineralium partes ignis ope extrahi poſſunt, ita pariter vegetabilium antea ignotas facultates chemicorum opera ſeorſim tradendo detegi poſſe exiſtimantes. Quis vero neſcit, diu admodum et multum ſane in hoc ſtadio deſudaſſe illuſtris regiae academiae *pariſinae* membra, donec tandem exantlatis tot tantisque laboribus haud diffiteri neceſſe habuerint, quod quidem in nonnullarum plantarum viribus hac ratione explanandis ſcopus quodammodo attingi poſſe videatur, in plerisque tamen examen tale chemicum admodum fallaces exhibeat obſeruationes: praeſertim quum peregrina, raritate et vtilitate conſpicua vegetabilia, haud raro cum inquilinis noſtris, vſu minus comprobatis, eadem praeſtiterint producta chemica. Enimuero inter alia illis tale quid producta radicis *Ninſi*, cum productis *Hepaticae* comparando eueniſſe fertur. Audiamus ſaltem, quid hac de re ſentiat nobilis quidam praefatae academiae ſodalis, cl. CHOMEL *e*), qui: *Fere bis mille*, inquit, *analyſes plantarum per ignem fecere Chymici Reg. Scient. Acad. Pariſinae, ſed his omnibus praeſtitere nihil, niſi vt liquidum foret, ex omnibus communiter extrahi poſſe Aceti liquidi quantitatem, Olei eſſentialis ſeu foetidi maiorem vel minorem, ſalis fixi volatilis et concreti, Phlegmatis inſipidi et Terrae copiam, et saepe haec omnia eadem quantitate et proportione in plantis diuerſiſſimi effectus; inutilis ideoque et irritus labor; profuit tamen ad praeiudicium deponendum de vi analyſeos.* Tandem hoc loco haud ſilentio praetereundum eſt celeb. LINNAEI *f*) veriſſimum huic ſententiae ſubiunctum epiphonema. *Concedimus*, eximius ſaeculi noſtri Botanicus addit, *igitur Chemiam, eo quod efficacia, compendioſa et artificioſe parata medicamenta nobis porrigat, maximam praeſtare vtilitatem Medicis potius, quam vt contendamus, vires plantarum eius ope a priori demonſtrari poſſe. Nec nobis conſtat, Chymicos per Chymiam ſolam, facultates quasdam plantarum antea ignotarum detexiſſe.* Vix igitur ac ne vix quidem ad indagandas ſimplicium lauri facultates operoſe a nobis inſtituta, aliquis hic chemica poſtulabit experimenta. Vt vero ſuperioris aſſerti eo clarius pateat veritas, ea propter GODOFREDI *g*) opera, ignis examini ſubiectorum lauri foliorum conſiderabimus producta, qui: *Analyſi chymica*, ait, *ex foliorum lauri recentium libris quinque per retortam diſtillatis, prodierunt humoris limpidi, foliorum odorem et ſaporem apprime referentis, obſcure acidi, cum olei eſſentialis portione mediocri, librae tres, vnciae nouem, drachmae ſex, gr. XXVI: humoris manifeſte acidi, ſubauſteri, ſubadſtrigentis drachmae quinque, gr. XL: humoris impenſe acidi, ſubſalſi, auſteri, leuiter*

x) Lib. ſaepius cit. p. 353. *y*) Loc. paſſim. cit. *z*) Lib. 7 c. 11.
a) Theophr. hiſt. pl. edit. opt. p. 187. *b*) Laur. ex omni antiq. p. 165 ſq.
c) Hiſt. plant. lib. 4 c. 20. edit. amſtelod. p. 506. *d*) Hiſt nat. lib. 17. c. 25. *e*) In hiſt. plant. p. 37. *f*) Amoenit. academ. pag. 420.
g) Mat. med. tom. 3 p. 696 ſq.

leuiter empyreumatici, cum olei eſſentialis guttis aliquot, drachmae ſex, gr. XLVIII: humoris rufi, acidi, auſteri, empyreumatici, ſale volatili vrinoſo impraegnati vnciae tres, drachmae ſex: olei empyreumatici, fuſci et adipoſi vnciae quatuor, drachmae ſex, gr. XXIIII. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat vncias ſeptem, drachmas ſex, gr. XXXVI: quae rite calcinata reliquit cinerum vnciam vnam, drachmas quinque, gr. LXIIII: ex quibus lixiuio ſalis fixi mere alcali drachmae quinque, gr. IIII, extracta ſunt. Partium iactura in diſtillatione fuit vnc. quatuor, drachm. II, gr. XLII: in calcinatione vnc. ſex, gr. XLIIII.

VIII. CVRIOSA.

Theophraſtus [b]) in mari rubro *laurum* inuentam non viridem verum *lapideam*, viridi tamen ſimilem his commemorat verbis: ἐν δὲ τῇ θαλάττῃ ἐρυθρᾷ καλουμένῃ δένδρά τινα φύεται· καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην καὶ ἐλαίαν. κ. τ. λ. Et paullo poſt: ἐν δὲ τῷ καλουμένῳ Ἡρώῳ ἐφ᾽ ὃν καταβαίνουσιν οἱ ἐξ Αἰγύπτου, φύεται μὲν δάφνη τε καὶ ἐλαία καὶ θύμον, οὐ μὴν χλωρά γε· ἀλλὰ λιθοειδῆ τὰ ὑπερέχοντα τῆς θαλάττης· ὅμοια δὲ καὶ τοῖς φύλλοις καὶ τοῖς βλαστοῖς τοῖς χλωροῖς. h. e. *In ſinu autem Heroo cognominato, ad quem deſcendunt Aegyptii, laurus eſt, et olea et thymum, verum non viridia, ſed lapidis ſpecie parte a mari eminente, ſimilia tamen viridibus tam foliis, quam germinibus.* Haec forte *Plinius* [i]) legerat, vbi ſcriberet: Mirum eſt in mari rubro ſiluas viuere, laurum maxime, et oliuam, reliqua.

Huc pariter referri poſſunt, quae ſupra [k]) de lauri foliis, ad congregandos ex quorumdam ſententia *pulices*, in aqua marina decoctis, huic commentationi iam inſerta ſunt: immo quae paullo ante de *lauro*, ſi nempe ramus ramo frequentius affricetur, *ignes* ſpargente itidem his pagellis mandauimus, hic belle quoque ſibi locum poſtulant. RAIVS [l]): *Si lauri exſiccatae ramus*, inquit, *ramo frequenter confricetur, ſuperaſperſo ſulphuris puluere ignis ſtatim exſiliet; quod mirum, cum lauri lignum leue et ſpongioſum ſit.* IDEM vero illis *plinianis*: ſed nihil hedera praeſtantius quae teratur, lauro quae terat, mox ſubiungit: *Cum attritio vtriusque ſit, quae teratur, quae terat perinde eſt, vt nobis quidem videtur. Lucretius* [m]) ex aliis pari ratione arboribus ventorum vi inter ſe fortiter colliſis ignes elici aſſerit, vbi canit.

Exprimitur validis extritus viribus ignis,
et micat interdum flammae feruidus ardor,
mutuo dum inter ſe rami ſtirpesque teruntur.

Prius-

b) Hiſt. plant. lib. 4 c. 8 edit. amſtelod. p. 417. i) Hiſt. nat. lib. 13 c. 25 edit. Harduin. tom. 1 p. 700. k) Pag. 36. l) Hiſt. plant. lib. 30 c. 2 p. 1690. m) Lib. 5.

Priusquam autem hinc pedem moueo, adhuc notari meretur, ab ETTMVLLERO, feliciſſimo ſuperioris ſaeculi practico, ſcriptis conſignatum quorundam per *laurum* in *grauidis* praeſagium, qui: *Sunt*, inquit, *qui δοκιμασίαν inſtituunt pro cognoſcenda femina ſi habeat tumidum abdomen, an grauida ſit, vel non; propinant enim hauſtum vini infuſum per diem et noctem ſuper quatuor vel quinque baccas, et dicunt, quod ſi vomat, ſit ſignum, quod ſit grauida, quod ſi vero non vomat, illam non eſſe grauidam perhibent.*

IX. SVPERSTITIOSA.

Praeter ſupra celebratas lauri vires medicas alias quoque prope diuinas Apollinis arbori virtutes ſuperſtitioſa olim tribuit antiquitas. Laurum enim veteres ἀλεξίκακον dixerunt, quod nimirum omnis generis mala adeo arceat, vt nec *a fulmine laedatur* vnquam. Adiamus ſaltem quid hac de re ſentiat *Plinius* [n]), qui: *Ex iis*, ait, *quae terra gignuntur, lauri fruticem non icit fulmen.* Idem alibi [o]): *Quia laurus*, inquit, *manu ſatarum receptarumque in domos, fulmine ſola non icitur. Ob has cauſas equidem crediderim, honorem ei habitum in triumphis potius, quam quia ſuffimentum ſit caedis hoſtium*, caetera. Et paullo poſt: *Tiberium principem tonante caelo coronari ea ſolitum ferunt contra fulminum metus.* De Tiberio idem *Tranquillus* [p]) commemorat, dum: *Tonitrua*, inquit, *praeter modum expaueſcebat, et turbatiore coelo nunquam non coronam lauream capite geſtauit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.* Enimuero nec ipſam laurum, nec aedificia, quae quondam lauri rami exornabant, a fulmine immunia eſſe recentiorum comprobat experientia. Nam ſubinde etiam ipſius Apollinis templa fulminis incendio conflagtata, immo Aeſculapium, quem tamen non raro laureatum veterum monumenta nobis ſiſtunt, fulmine extinctum legimus. Ne vero haec omnia nil niſi euidentiſſima ſuperſtitionis documenta eſſe viderentur; hinc quidam rem ita limitarunt, quod laurus nunquam fulmine tangatur, niſi in futurae calamitatis prodigium. Ad aniles autem has ſimilesque veterum fabulas appoſite ſatis reſpondet BRODAEVS [q]), qui: *Cauſſam huius virtutis*, ait, *adferunt pythagorici, quod Apollini ſacra arbor ſit, quae a poeticis deliciis pendet, quaſi eius dei templa fulmine tacta et ambuſta apud hiſtoricos non legamus. Nonulli plantae rotunditati id acceptum*

n) Hiſt. nat. lib. 2 c. 55 edit. Harduin. tom. I p. 102. o) Lib. 15 c. 30 circa finem. p) In Tiberio c. 69 edit. Graeu. p. 377. q) Miſcellaneor. l. 3 c. 2.

ceptum ferendum nugantur, quia ictus labatur, qui mihi videntur laurum nunquam adſpexiſſe, in acumen potius tum ipſo trunco, tum etiam ramis tendentem. Sunt omnino pini omnes rotundae magis, quibus nec ignis caeleſtis parcit: ſed ne columnis quidem marmoreis, diu multumque laeuigatis ac perpolitis. Nec ſane mirum, cum omnia a coelo decidentia obliquos habeant ictus non rectos, etc. Paucos quoque abhinc annos Romae de caelo tacta laurus eſt. Plures auctores, qui veterum illa funditus evertere ſubinde aggreſſi ſunt figmenta, excitant PHIL. IAC. SACHS[r]), et DAVID. BIERFREVND[s]); quibus ſubiungi merentur IO. BAVH.[t]), BOD. A STAPFL[u]), IONST.[v]), RAIVS[w]), MYLIVS[x]), HERM.[y]), GODOFREDVS[z]), alii.

Non vero ſolummodo laurum nunquam a fulmine ici credidit, verum etiam, vt ſupra iam dictum, *ne vina corrumperentur a fulgure* lauri ramos adhibuit, immo ne a tonitru *vittarentur oua* atque *pulli ſemiſormes interimantur*, lauri folia adhibenda ſeducta iuſſit antiquitas. *Columella*[a]) certe incubanti gallinae tonante coelo, aut ſaltem in fulminum metu ramulos lauri ſubiici iubet: quod vero pariter experientia abunde refellit miraculum.

Aſt neque his contenti erant veteres praeter naturalibus lauri virtutibus, ſed *morbum ſacrum* ſiue epilepſiam, et ipſos *daemones* ea neutiquam infeſtare loca credebant, vbi adeſſet laurus. Quis vero non videt, idem pariter abſonum eſſe atque ſuperſtitioſa ſaltem credulitate fundatum? notari tamen luculentiſſimus hac de re locus apud CASS. BASSVM[b]) meretur, qui: *ὐδὲ γὰρ ἡ ἱερὰ νόσος*, inquit, *ἢ δαίμων παρενοχλεῖ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ δάφνη ἐϛίν, ὥπερ ὐδὲ κεραυνὸς ὅπου αὐτή.* h. e. *Neque enim morbus ſacer, aut daemon locum infeſtat in quo laurus eſt, quemadmodum neque fulmen vbi eadem.* Res profecto, monente pariter BOD. A STAPEL, diuina foret laurus, et plures eam certe colerent, ſi malus eam fugeret genius!

Eodem ſuperſtitionis fulcro illa de *crepitu* et fragore, quem folia et rami *lauri inter vrendum* edunt, innititur obſeruatio. Res enim in vulgus eſt notiſſima, nihil fere aeque magno ſonitu cremari, quam laurum. Quodſi

r) In Γαμμαρολογια p. 22. s) In diſſ. de fulmine f. 8. t) Hiſt. plant. lib. 4 tom. 1 p. 416. u) Theophr. hiſt. plant. p. 187. v) Dendrogr. p. 227. w) Hiſt. plant. lib. 30 p. 1688. x) Hort. philoſ. p. 283. y) Cynoſ. Mat. med. tom. 1 pag. 498. z) Mat. med. tom. 3 pag. 698. a) Lib. 8 c. 5 edit. optimae ſcript. rei ruſticae, quam celeb. IO. MATTH. GESNERO debet reſpublica litteraria, p. 641. b) Lib. 11 c. 3.

Quodſi vero ſonantius et abunde accenſa crepuiſſet laurus, felicem euentum portendi rebantur; ſi vero tacita deflagraſſet, triſte et inauſpicatum hariolabantur prodigium. BOERHAAVE [c]) de lauro: *Haec arbor*, inquit, *eſt ſacra Apollini; folia eius carpta igni immiſſa vi ſua elaſtica crepunt inſtar pulueris pyrii; hinc puto veteres dixiſſe illam Phaebo repugnare, ſed tamen a Phoebo amari.*

Ex lauro praeterea et *auſpicata* et *fatalia* olim capiebantur *omina.* Boni ominis laurus, *Ael. Lampridio* [d]) teſte, in domo Alexandri Seueri adhucdum infantuli, iuxta perſicam arborem nata; quae intra vnius anni ſpacium ipſam perſicam mirabli ſane incremento ſuperaſſe dicitur. Vnde mox praedixere aruſpices futurum, vt puer olim Perſas vinceret. Eidem Romanorum imperatori ingens atque antiqua alia laurus, quae in palatio cuiusdam vrbis, ex qua proficiſcebatur ad bellum, quod contra Germanos parauerat, ſubito collapſa, infauſtum portendiſſe omen atque mortis fuiſſe indicium fertur. Mali pariter ominis, ex veterum ſuperſtitione fuit laurus, quae Iulii Caeſaris praeſagiebat caedem. Etenim, *Tranquillus* [e]) pridie idus Martias regaliolum auem cum lauri ramulo *pompeiae* curiae ſe inferentem a varii generis volucribus, ex proximo nemore inſequentibus, ibidem diſcerptum commemorat. Nouiſſimo anno Neronis, in quo Caeſarum defecit progenies, eodem *Tranquillo* [f]) teſte, lauretum, ſiue ſilua *veietana*, radicitus exaruit.

Laurus, *Serapio* inquit, dormientium capiti appoſita, facit vt videamus *vera ſomnia*; qua de re infra ſuo loco agetur vberius. Interim hoc loco praeter alios conſuli meretur PASCHALIVS [g]).

In tractu *pontico*, *Plinius* [h]) narrat, portus Amyci eſt Bebryce rege interfecto clarus. Eius tumulus a ſupremo die lauro tegitur, quam *inſanam* vocant: quoniam ſi quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abiiciatur. Quare nautae, MYLIVS [i]) addit, in eo portu obuerſantes, eam cane peius et angue reformidant et auerſantur. Cum in eam portum forte nauis appuliſſet, nauta vectores ſuos admonebat, ne illam attingerent, neu quicquam decerperent: multisque verbis in laurum inuehebatur, eam ſaepius inſanam vocans, et vt ab inſana cauerent incla-

c) Hiſt. plant. parte 1 p. 166. d) In Alexand. Seuero: vid. hiſt. auguſt. ſcript. ex edit. Cl. Salmaſii p. 118. e) In Iul. Caeſ. cap. 81 edit. Patin. p. 55 ſq. f) In Galba c. 1 edit. Graeu. p. 602. g) De coronis lib. 8 p. m. 559. h) Lib. 16 c. 44 edit. Harduin. tom. 2 p. 40. i) Hort. philoſ. p. 288.

inclamans. Crebra itaque inſultatione laceſſita Hamadryas, quae arborem tuebatur, in haec carmina prorupit.

Dic meliora hoſpes: ne te grauis implicet error,
conciliet noxam ne tibi lingua procax.
Hic Amycus diuorum, Amycus contemptor et aequi
procubuit caeſtu Caſtoris: oſſa vides.
Tum victor noſtris incinxit tempora ramis,
et cinctum ramis plus ſapuiſſe ferunt.
At dedit inſanae mihi mox victoria nomen:
inſanos quoniam punio non facio.

At inſperata voce nauta exterritus puppi ſic clamat ab alta.

Feſtinate viri, date vela, impellite ramos,
et ſecet aequoreas iam cita puppis aquas.
Nulla mora eſt: properate viri, iam iurgia ſurgunt,
iam furit et lites enthea laurus agit.
Quodſi quis veſtrum captus torpore moretur:
cedere, ſed fruſtra, cedere mox cupiet.

Tandem etiam laurum incenſam in *maleficiis amatoriis* conuenire fabulantur, etſi laurus aduſta querimoniarum amantium ſit ſymbolum. Sed ſufficiant haec de ſuperſtitioſis, quibus praeter alia infra in medium producenda, ſaltem adhuc *Empedoclis* philoſophi de lauro ſententiam ſubiungam, qui *Aeliano* [k]) teſte tanti fecit Apollinis arborem, vt optimam conuerſionem in hanc exiſtimauerit, ſi quidem homines poſt exceſſum ex hac vita in plantas commutari ſors iuberet.

X. MYTHICA.

Apollo Iouis et *Latonae* filius cum ſorore *Diana* in Delo inſula natus, non ſolum pro ſiderum principe, verum etiam medicinae parente, praeſertim autem rei herbariae inuentore, habebatur olim, qui apud NASONEM [l]):

Inuentum MEDICINA *meum eſt, opiferque per orbem*
dicor, et HERBARVM *ſubiecta potentia nobis.*

Apollinis, vt omnes conſentiunt, filius erat *Aeſculapius*, qui circa *argonautica* tempora vnus omnium tantopere doctrina ſalutari florebat, vt eius arte mortuos in vitam reuocatos fabuloſa narret antiquitas, quique, ne vlterius fatorum turbaret ordinem, *Iouis* fulmine percuſſus viuere deſiit.

k) De animalib. lib. 12 c. 7 p. m. 700.

l) Metamorph. lib. 1 verſ. 521.

ſiit. *Apollo* pingebatur olim, vt imberbis intonſusque iuuenis, *Aeſculapius* vero vultu ſenili atque barba promiſſa, quam ex auro conflatam *Dionyſius*, TVLLIO m) teſte, *Aeſculapii Epidauri* ſtatuae abradere iuſſit, non conuenire dicens, barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet.

Vtrum diis conſecratae arbores, ab hominibus olim dedicatae fuerint, an ipſa numina ſibi easdem elegerint? in eo haud omnino conſentiunt priſcae vanitatis auctores. Quodſi enim PHAEDRO n) credimus, certe

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
diui legerunt arbores: quercus Ioui
et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea.

Sin vero LVCIANVM o) audias, homines primum lucos diis tribuerunt, tum et montes dicarunt, praeterea aues conſecrarunt, deinde ſuam cuique arborem aſſignarunt. Vltima haec profecto neutiquam de *Apollini* ſacra arbore, quippe quam ſibi ipſum medicorum numen vindicauit, ſi quidem fabulis fides habenda, commode dici poſſunt.

Laurum ob multas variasque cauſſas, quarum prior, quod *Apollo Daphnen* formoſiſſimam virginem in hanc arborem mutatam amauit, *Phoebo* gratam fuiſſe commemorant. Fuit autem *Daphne*, vt alibi iam innuimus, *Ladonis* fluuii filia, omnium virginum, qui olim in *Theſſalia* erant, pulcherrima, adeo, vt ipſos caperet deos. Cum huius *Apollo* formam conſpexiſſet, expalluit, cumque eam nec precibus neqne pollicitis adire potuiſſet; vim vt inferret, conſtituit. At illa, quae iam aeternae ſeſe virginitati deſtinauerat, curſu eius conſpectum effugere cupiens, quum vix amplius Apollinis velocitati reſiſtere poſſet,

Fer pater, inquit, *opem, ſi flumina numen habetis,*
qua nimium placui, tellus, ait, hiſce, vel iſtam,
quae facit, vt laedar, mutando perde figuram.

His cum inuocata illico votis ſubſcripſiſſent numina, confeſtim *Daphnen* in Laurum arborem conuerterunt. *Phoebus* autem, quamuis re noua conſpecta deterritus eſſet, haud tamen ab eius amoribus receſſit, verum eam amplexus et oſculatus arborem gentili nomine donauit, ſeque vulſo ramo coronauit.

m) De nat. deor. lib. 3 c. 34 edit. Gronov. tom. 4 p. 1244. n) Fab. 57 vel lib. 3 fab. 18. o) De ſacrific. p. 90.

De quibus ita canit *Ouidius* p):

Vix prece finita, torpor grauis alligat artus,
mollia cinguntur tenui praecordia libro.
In frondem crines, in ramos brachia creſcunt,
pes modo tam velox pigris radicibus haeret:
ora cacumen obit, remanet nitor vnus in illa.
Hanc quoque Phoebus amat: poſitaque in ſtipite dextra
ſentit adhuc trepidare nouo ſub cortice pectus,
complexusque ſuis ramos, vt membra, lacertis,
oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.
Cui Deus. At coniux quoniam mea non potes eſſe,
arbor eris certe, dixit, mea. Semper habebunt
te coma, te citharae, te noſtrae, laure, pharetrae.
Tu ducibus laetis aderis, cum laeta triumphum
vox canet, et longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.
Vtque meum intonſis caput iuuenile capillis;
tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.

Nam paullo ante cecinerat *Naſo*:

Nondum laurus erat: longoque decentia crine
tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.

Nicandri Scholiaſtes aliique ſimili ratione eandem hanc narrant fabulam, quam ex ampliſſima DOMINICI ROSSI collectione ſtatuarum, cum obſeruationibus PAVL. ALEX. MAFFEI Romae 1704 editarum, aeri, qua fieri potuit accuratione, inciſam in opuſculi huius fronte ſpectatorum oculis ſiſtimus. Hunc vero μῦθον *Caſſianus Baſſus* paullo aliter in loco per BOD. A STAPEL q) excitato commemorat. *Verum tamen*, cl. WAGNER r) addit, *haec ſola non videtur cauſſa dilectae ab Apolline laurus; ſed alia quoque narratur, ob quam rem grata ipſi eſſe fuit credita. Videlicet, cum Latona a Ioue compreſſa, Apollinem vtero geſtaret, Iuno autem, zelo accenſa, omni terrae, quam radiis ſol vnquam colluſtraſſet, ne Latonam parturientem reciperet, ſeuere interdixiſſet; in Delum inſulam, quae antea aequore ſemper tecta fuerat, tum vero ex aequore eleuabatur, per Mercurium, Iouis iuſſu, delata, ſub palmae laurusque vmbra Apollinem enixa eſt.* Prior autem nobis quidem magis arridet fabella, prae-

p) Metamorph. lib. I v. 548 ſqq.
q) Theophraſt. hiſt. plant. pag. 185.
r) Libell. cit. p. 19.

praeter quam MART. MYLIVS [s]) adhuc alias vero paullo ſimiliores nobis ſuggerit cauſſas, cur *Apollini* dicata haec olim fuerit arbor. Prior petita eſt ex natura et indole tam *Phoebi* quam lauri. Nam *Apollo*, quippe ſol, ignis ipſe eſt, cuius naturae apprime conuenit laurus: quia, vt ſupra haud vno loco ex veterum et recentiorum monumentis innuimus, laurus adeo calida eſt, vt ex eius attritu facile ignis eliciatur. Quae omnia certe haud fugiebant *Caſſian. Baſſum* [t]), vbi ſequentia poſteritati commendaret momenta, quae breuitatis cauſſa h. l. ſaltem interpretis verbis depromam, qui: *Et hanc veteres*, inquit, *Apollini conſecrarunt*, *quod igne plena ſit planta*, *et ipſe Apollo ignis*, *eſt enim ſol.* Alteram cauſſam, cur *Apollini* grata fuerit laurus, ſuppeditat *Plin.* [u]), quod nimirum in *Parnaſſo* monte, qui dedicatus fuit *Apollini*, et *Delphis*, vbi *Apollo* cultus fuit, ſpectatiſſima, poetis *parnaſſia* dicta, naſcatur laurus. Accedit quarta ratio, inde potiſſimum petita, quod videlicet *Apollo* diuinationis deus exiſtimatus fuerit, laurus autem diuinatricem olim habuerit naturam. Quod *Heſiodi* ſcholiaſtes egregie confirmat, ſcribens: Ἐνεργεῖ πρὸς ἐνθουσιασμοὺς h. e. *valet ad inſtinctus diuinos* i. e. vaticinia. Ideo laurus μαντικὸν φυθόν, *vaticinationis arbor*, et apud *Lycophronem*, vates dicitur δαφνηφάγος. Quia denique *Apollo* ſemper erat iuuenis et imberbis; ita laurus quoque perpetua fronde ſuperbit. Tandemque pariter ideo forte *Apollini* ſacrata videtur laurus, quia haec arbor, vt ſupra fuſius oſtendimus, medicinae multifarium praebet vſum; *Apollo* autem, *Aeſchylo* [x]) ἰατρόμαντις, *vates medicus* dictus, pro medicinae inuentore, medicorumque principe celebratur.

XI. ANTIQVARIA ET HISTORICA.

Quamuis, praeſertim autem CAEL. RHODIGINVS [y]), CAROL. PASCHALIVS [z]), BOD. A STAPEL [a]), aliique humanioris doctrinae vindices, pariter in hoc ſtadio iam pridem ſuam exercuerint mineruam, ſingulaque huc ſpectantia monumenta ex omnibus fere antiquitatum fontibus operoſe ſatis eruerint, immo paene ad vmbilicum hanc perduxerint tractationem; tamen et recentiſſimo ſcriptore, qui laurum denuo variis canitie venerandae antiquitatis ſpoliis in politiſſimo opuſculo ſuperbire iuſſit, cl. IO. GERARDO WAGNERO, et nobis poſt diuitem aliorum meſſem

s) Hort. philoſ. p. 276. *t*) Eclog. Georgic lib. II c. 3. *u*) Hiſt. nat. lib. 15 c. 30 edit. Hard. tom. 2 p. 755. *x*) Enumenid. v. 62. *y*) Antiq. lect. *z*) De coronis. *a*) Comment. ad Theophraſti hiſt. plant.

meſſem, in amoeniſſimis omnis generis antiquitatum campis, haud contemnenda quaedam adornare licuit ſpicilegia. Quoniam vero nullus ſupra allegatorum auctorum tam concinno ordine vſus eſt, quo de lauro h. l. dicenda paſſim laudatus cl. WAGNER digeſſit; quapropter eadem methodo, immo quandoque iisdem ſententiis, ſaltem paullo breuius, omnia hic neceſſario memoranda percenſebimus monumenta, quibus ſubinde qualiacunque noſtra ſubiungemus ſcholia.

Conſiderabimus itaque primo *laurum in paganorum ſacris*, dein agetur *de eiusdem vſu ciuili*.

Qua potiſſimum de cauſſa *Apollo* ipſe *ſibi laurum ſacratam* voluerit arborem, ea ex ſupra dictis oppido ſatis clare patent: quoniam vero inſuper vaticinia ex lauri foliis antiquiſſima ſunt; hinc, ſicut pariter cl. WAGNER probe monuit, profecto nihil vero ſimilius, quam inde pariter ex *phoebea* virgine ortam *parnaſſiam* arborem *Apollini*, omnium vaticiniorum praeſidi, fuiſſe dicatam. Ex quibusdam praeterea veterum monumentis haud obſcure colligitur, *Apollinis tripodem* olim *ex lauro* fuiſſe conſtructam, aut ſaltem eadem antiquiſſimis temporibus vmbroſa quaedam fuit laurus, tribus ſolo haerens radicibus, prope quam poſtmodum collocarunt cortinam. *Apollinis imaginem lauru* quondam fuiſſe *ornatam*, non ſolum praeter ſupra allatum *Naſonis* locum plura docent veterum monumenta; verum etiam gemmae, numi, marmora aliaque elapſi aeui λείψανα, fere nunquam niſi laurea corona cinctum medicorum principis caput ſpectatorum oculis ſubiiciunt: immo *citharam*, *pharetram*, *Apollinis aras* atque *templa*, *lauro exornata* atque redimita ſubinde in veterum ſcriptis aliisque per ſaecula victuris monumentis conſpiciuntur. Laurum *Antiochiae* prae aliis frondibus, ob *Daphnen* illic transformatam, *cultam* memoriae prodidit *Philoſtratus* [b]).

Haud vero ſolummodo *Phoebum* lauro exornatum *romana* antiquitas coluit, ſed praeter *Vulcanum*, *Ianum*, *Herculem*, *Aeſculapium*, *Deos Penates*, aliaque paganorum numina, etiam *Veſta*, *Dea Salus*, ipſaque *Roma* ſaepius in antiqui orbis reliquiis pulcre laurea corona ſuperbiunt. Profecto *Iani ſtatuam* ſingulis calendis Martiis laurea noua exceptam fuiſſe *Macrobius* [c]) commemorat.

Inſignis porro *lauri vſus* erat in *Pythia vaticinatura*, aliisque tam *Phoebi*, quam *aliorum numinum ſacerdotibus*. Vates laurum manducantes oracula dabant, cauſſam huius δαφνηφαγιας reddit IO. TZETZES, quod laurus

b) Vit. Apollonii Tyan. l. I c. 12.

c) Saturnal. lib. I c. 12.

laurus πρὸς τὰς ἐνθουσιασμὰς ἐνεργεῖ, *efficax ſit ad diuinos furores.* Hinc *Heſiodus* [d]) poſt laurum deguſtatam factum ſe poetam refert. Inſuper autem *vaticinaturi* tempora laureis coronis cingebant. Non ſolum autem *Apollinis*, ſed *aliorum* quoque *numinum ſacerdotes ſacrificantes*, in primis *Flamines*, olim haud raro conſpiciebantur laureati; qua de re vberius egit PASCHALIVS [e]). Praeterea *conſulentes oracula*, quorum *adyta lauris obſepta* erant, pariter ſacra fronde coronati incedebant, atque *Apollinis* templum ingreſſuri manibus lauri coronas et ramos geſtabant, domum laureati reuertebantur; immo a *Pythia* ipſa manducabantur lauri folia [f]). Ii tandem, *qui ſibi deos infenſos* exiſtimabant, pariter laurum manu tenebant, numinaque ſibi irrata palam profitebantur, praeterea plerumque *in expiationibus deuotionibusque* ſpargebatur lauri ramo.

Latonae, Dianae, vt et *Herculis ſacra* celebrantes itidem tempora cingebant lauro.

In *ſacrificiis* thuris adhuc ignari *laurum* diis *cremabant Romani*; *victimas* laureis ſertis ornabant, atque *extinctum Veſtalium ignem* lauri tabulas verberando vel terebrando ſuſcitabant.

Progredimur nunc ad *lauri in diebus feſtis*, quae facile ex adhibitis frondibus dignoſci poterant, *vſum.* Primum autem hoc loco mentio iniicienda venit celebrioris illius *apollinaris feſti* δαφνηφορια dicti, de cuius ritu, praeter *Procli* locum apud WAGNERVM, conſuli merentur varii de feſtis *Graecorum* auctores, quos coniunctim denuo edidit GRONOVIVS [g]). Huc pariter ſpectat feſtum ἑβδομης, quod duplex fuiſſe perhibetur, quorum alterum in honorem natalitiorum *Apollinis*, ſeptimo cuiusuis menſis die, quae *Phoebo* ſacra erat, non ſine pompa celebrabatur.

Haud vero ſaltem *Apollinis*, ſed aliorum quoque *numinum feſtis* pie celebrandis in paganorum ſacris inſignis lauri erat vſus. Quamuis autem ſingulis fere publicis ſolemnitatibus apud *Romanos*, vt ex infra dicendis luculentius apparebit, ianuas lauri fronde ornatas deprehendas; tamen potiſſimum *in feſto Iani*, ſiue calendis *Ianuariis*, iam incipiente diluculo et canente gallo, fores ſuas ex anteriore parte adfixis lauri ramis variisque ſubinde coronarum generibus pulcre exornabant: immo boni ominis cauſſa, ſicut ſupra iam innuimus, atque in *Iani* bifrontis honorem, magiſtratibus lauri folia ficusque aridae a populo offerebantur. A *Macrobio* [h]) memorati pariter huc ſpectant *decemuiri in Iunonis* reginae *ſacrifi-*

d) Theogoniae lib. I.

e) De coronis lib. 4 c. 13 edit. lugdb. p. 247.

f) Dale de oraculis vet. ethnicorum p. 113 ſq.

g) Theſaur. antiq. graec. vol. 7.

h) Lib. 3. Saturnal.

crificio laureati. In *Paliliis*, ſiue natali vrbis Romae a paſtoribus conditae feſto, cuius ſolemnitates prolixe deſcribit *Ouidius* [i]), quodque d. XXI. Aprilis *Pali* agrorum deae tutelari celebrabatur, paſtores pecus et ſtabula virgis laureis aqua madidis luſtrabant, incenſo ſulphure admiſtis lauri foliis fumigia circum ouilia ferebant.

Ad *vaticinationem* laurus ope olim inſtitutam, ſiue δαφνομαντειαν quod attinet, igni admota *ſonantius crepitans* laurus, ſiue μαντικὸν φυτὸν, auſpicatiſſimum rei, cuius euentum exploraturi erant, dabat indicium; immo *recens nata* pariter olim felicia portendebat omina: contra, absque ſtrepitu in cineres redacta laurus, vt et *areſcentes* ſubinde lauri, moeſtiſſima, atque longe infeliciſſima dabant praeſagia, qua de re iam alibi egimus vberius. Antequam autem ad alia μαντειας genera, quibus laurum interfuiſſe dicitur, progrediar, hoc potiſſimum loco ſequentem ex HIPPOCRATE [k]) inſerendam duxi ſententiam, quae FOESIO interprete ita ſonat: *Medicina autem et diuinatio magnam inter ſe cognationem habent, quandoquidem duarum artium pater eſt vnus Apollo, progenitor noſter, qui et futuros morbos praedicebat, et aegrotantes et aegrotaturos curabat.* Huc pariter illa *Naſonis* [l]) ſpectant:

Te precor, arcitĕnens, adſit tua laurea nobis,
carminis et medicae, Phoebe, repertor opis.
Tu pariter vati, pariter ſuccurre medenti;
vtraque tutelae ſubdita cura tuae.

Ita praeterea pro aegrotante Sulpicia *Tibullus* [m]) ad *Apollinem* ſuum dirigit votum.

Huc ades, et tenerae morbos expelle puellae!
Huc ades intonſa, Phoebe ſuperbe, coma!

Adhibebatur praeterea laurus et *in conſultatione defunctorum* de euentu rerum futurarum, et puluino noctu ſuppoſita *ad excitanda vera*, atque quaſi diuinitus miſſa *ſomnia* perficienda habebantur lauri folia; immo per ſomnia viſam lauream coronam, in primis diuitiarum aut futurorum honorum indicium ſuppeditare, atque rerum abdita recludere, ſomniorum interpretes exiſtimabant: qui porro laurum arborem per ſomnia viſam, et dotatae ſponſae nuncium denotare, et aegris ſanitatem ſpondere autumabant. Exciſa vero laurus in ſomniis *Cereri* olim malum, *Claudiano* [n]) teſte, praeſagiebat omen.

Con-

i) Faſtor. lib. 4. k) Epiſt. ad Philopoemenum. l) OVID. de remed. amor. v. 75. m) 4. 4. 1. n) Rapt. Proſerpinae lib. 3.

Conſiderabimus nunc, duce cl. WAGNERO, laurum tanquam *incantationum faſciniique inſtrumentum atque remedium.* Etenim in faſcinatione laurum et ad odium et amorem adigere homines veterum quoque perſuaſione nititur: quo pariter ſaepius laudatus medicus, clar. WAGNER, aliud faſcinii genus, *luſtrationem mercium* et mercatorum retulit, quippe quoniam, *Naſone* o) teſte, mercatores faſciculo lauri, aqua Mercurii madido, ſuas conſpergere ſolebant merces. Laurus vero etiam *remedii contra faſcinum* ſubinde occupabat locum; quo pariter merito refertur adagium *δαφνίνην φέρω βακτηρίαν*, *laureum gero baculum*; quod procul dubio ii ſaltem pronunciare poterant, qui inſidiis defunctos atque tutos, vbi feliciter a periculis aufugiſſent, ſe arbitrabantur: immo laurus etiam *inſidias ſtruentium* peridonea videbatur adiutrix.

Poetae Pythias vatidicas imitati *laurum*, tanquam *μαντικὸν φυτὸν*, *arborem diuinatricem*, *mordebant*, *ſeque eadem* ſaepiſſime vatum more *coronabant*, atque carmina ſua recitantes lauri *ramum*, *αισακος* dictum, *manu tenebant*; qua de re, praeter alios paſſim excitatos auctores, conſuli quoque meretur MART. MYLIVS p).

Tandem etiam laurus et aliorum *in ſacris ludis victorum* et *poetarum* olim erat *praemium.* Quapropter et in *pythicis* et *olympicis certaminibus* luculentiſſimum *corolla laurea* conſtituebat *praemium*: in his vero ludis certabatur curſu, celete, equorum et mulorum bigis, quadrigis, et, ſi quidem numis fides habenda q), trigis: in iisdem ludis victores primum eſculo *Ioui* ſacra, dein autem *apollinea* lauru coronati ſunt. Pari ratione *poetarum capita in ludis*, nonnunquam vero etiam plebiſcito, corolla exornabantur laurea; immo *laureatae* olim poetis ſubinde erigebantur *ſtatuae.* Atque haec ſumma conſtituunt capita eorum, quae apud alios, praeſertim vero in WAGNERI ſaepius excitato libello, de lauri in paganorum ſacris vſu innumeris ferme veterum ſtipata deprehendes documentis.

Supereſt, vt nunc pariter breuibus agatur *de militari*, *inque variis ciuilibus* praeſertim *Romanorum ſolemnitatibus*, tantopere olim celebrato *lauri vſu.*

Ad *lauri vſum militarem* quod attinet, non ſolummodo *Lacedaemonii*, ſi *Nic. Damaſceno* credimus, *laureati* quondam *praelium* commiſerunt; verum etiam rex *Philippus*, *Alexandri*, cui rerum geſtarum gloria

o) Faſtor. v. 673 ſeq. p) Hort. philoſophic. p. 279. q) Erleuterungsſchriften zur algemeinen Welthiſtorie Theil 3 p. 328 ſqq.

ria Magni nomen dedit, pater, cum in *Phocenſes* expeditionem ſuſciperet, milites coronas laureas ſumere iuſſit, atque ita praelium committens *Thebanorum* ſuperauit hoſtes: qua de re alio pariter loco, alioque tempore, iam egimus [r]). De lauru *induciarum ſigno Plinius* [s]): *Ipſa laurus pacifera*, inquit, *vt quam praetendi etiam inter armatos hoſtes quietis ſit indicium.* De lauro autem *deditionis indicio* conſuli meretur *Herodianus* [t]). *Rerum* de reliquo potiſſimum in expeditionibus *proſpere geſtarum* exoptatus laurus erat *nuncius.* Hinc *Plinius* [u]): *Laurus*, inquit, *Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia, additur litteris, militum lanceis, pilisque.* Adeoque *litterae laureatae* laetorum erant nuntiae, quae in duas commode diſpeſci poſſunt claſſes, aliae enim erant, quas *Romanorum* duces vel imperatores domum mittebant, aliae vero, quae ad ſignificandam publicam *Romanorum* laetitiam domo in P. R. prouincias ſubinde mittebantur, qua de re conſulendus IO. GVILELM. BERGER [x]). *Milites* porro *victores* laureata geſtabant arma: denique etiam *naues laureatas* felicis olim victoriae nuncium fuiſſe ALEX. AB ALEXANDRO [y]) obſeruauit.

Ordinis ratio nunc poſtulat, vt pariter laurum in omnium honorum bellicorum ſummo culmine, ſiue *in triumphi pompa*, conſideremus. Non vero ſolum *dei Triumphi caput* laurea olim cingebatur corona, quod, praeter alia eruditae antiquitatis λείψανα, praeclare docet Iuliae gentis numus, a nobis haud ita pridem deſcriptus, atque pro rei neceſſitate ſufficienter illuſtratus [z]); ſed etiam *tropaea*, victoriarum indices, haud raro in numis adſtans *Victoria* laureis corollis *exornat.* Audiamus vero quid *Plinius* [a]) de lauro in triumphis conſpicua fronde ſentiat, qui: *Non quia perpetuo viret*, inquit, *nec quia pacifera eſt, praeferenda ei vtique et myrto et olea, ſed quia ſpectatisſima in monte Parnaſſo: ideoque etiam grata Apollini, aſſuetis eo dona mittere iam regibus romanis, teſte L. Bruto. Fortasſis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruiſſet, lauriferam tellurem illam exoſculatus ex reſponſo. Et quia manu ſatarum receptarumque in domos, fulmine ſola non icitur. Ob has cauſas equidem crediderim, honorem ei habitum in triumphis potius, quam quia ſuffimentum ſit caedis hoſtium et purgatio. Romulum*, cum de *Caeninatibus et Antemnatibus* triumpharet, praelatis opimis hoſtium ſpoliis

r) NVMOPHYL. SCHVLZ. tom. I p. 7 ſeq.
s) Lib. 15 c. 30.
t) Lib. 8 c. 7 et alibi.
u) Lib. 15 c. 30.
x) In diſſ. de litteris laureatis Vitteb. 1711 habita.
y) Genial. dier. lib. I c. 27. p. m. 107.
z) Numophyl. Schulz. tom. I p. 181.
a) Hiſt. nat. l. 15 c. 30.

liis, purpura indutum, et *laurea coronatum*, quadrigis triumphalibus primum Romam inuectum, atque ita magnificentiſſimi huius ritus auctorem fuiſſe *Dionyſ. Halicarnaſſenſis* [b]) commemorat. Hic vero potiſſimum lauri in Romanorum triumpho celebrabatur vſus. Imperator die a ſenatu conſtituto, veſte triumphali indutus, et victrice corona laurea ornatus, currui a quatuor plerumque equis tracto inſiſtens, manu plerumque dextra ſceptrum eburneum, ſiniſtra vero lauri ramum tenebat; pone imperatorem palmifera atque alata conſpiciebatur *Victoria*, non *Fortuna*, ſicut alicubi B. SCHMEIZELIVS [c]) exiſtimat, quae ſupra triumphantis caput alteram porrigebat coronam lauream. Exercitus populi *romani* in legiones, cohortes et manipulos diſtributus, vt et tribuni atque exercitus duces, immo ſcutiferi ac miniſtri non ſaltem laurea erant coronati, verum etiam lauri ramos manibus tenebant. Hos lauro itidem exornati praecedebant ducis triumphantis propinqui, tibicines, citharoedi, lictores, immo cunctos fere, qui triumpho intererant, laurus exornabat. Tandemque vbi ad lauro coronatum *Iouis Capitolini* templum peruentum eſſet, re diuina peracta, triumphalis *in Iouis gremium* deponebatur laurus. *Plinius* [d]): *Faſces imperatorum laurus decorat*, inquit, *ex his in gremio Iouis* O. *M. deponitur*, *quoties laetitiam noua victoria attulit.* Vniuerſae huius pompae picturas, ex vetuſtis lapidum, numorum et ſcriptorum monumentis, nobis ſuppeditant ONVPHRIVS PANVINIVS [e]), et qui eundem ſequuntur LAVR. BEGER [f]), IAC. LYDIVS [g]), NIEVPOORTIVS [h]), alii. *Laureae* autem *ſine* reliqua *triumphi pompa Ioui* delatae ſingulare *Tranquillus* [i]) commemorat exemplum. *Plinius* [k]) vero: *Allata erat ex Pannonia laurea*, inquit, *id agentibus diis*, *vt inuicti imperatoris exortum victoriae inſigne decoraret. Hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat*, *cum repente ſolito maior et auguſtior*, *aduocata hominum concione deorumque*, *te filium ſibi*, *hoc eſt*, *vnicum auxilium feſſis rebus aſſumſit.* Si res triumpho minus videretur digna, ſaltem ouatio concedebatur imperatori, cuius non lauro, verum ſaltem myrto cingebantur tempora; ſunt tamen praeter ALEX. AB ALEXANDRO [l]), adhuc alii, qui ſubinde, quamuis rarius, et *ouantibus lauream conceſſam* fuiſſe coronam exiſtimant. *Vndenam* autem *triumphantes* ſuas *ſumſerint* lau-

b) Antiqu. rom. lib. 2 edit. Sylburg. p. 102. *c*) Commentat de coronis p. 130. *d*) Lib. 15 c. 30. *e*) De lud. circenſ. et triumph. p. 138. *f*) In Floro ſuo p. 346. *g*) Syntagm. de re milit. p. 212. *h*) Edit. berol. p. 389. *i*) In Domitiano c. 6 edit. Graeu. p. 721. *k*) In panegyr. Traiano dicto. *l*) Genial. dier. lib. 6 c. 18 p. m. 938.

laureas, ad hanc *Plinius* [m]) atque *Suetonius* [n]) reſpondent quaeſtionem, dum commemorant, ex ramulo lauri, quem gallina alba, ab aquila rapta, roſtro tenuerat, et in *Liuiae gremium* demiſerat, cum eundem pangi placuiſſet, tale proueniſſe lauretum, vt triumphaturi inde Caeſares laureas decerperent, moremque triumphantibus fuiſſe, alias confeſtim eodem loco pangere: obſeruatum vero eſſe aiunt, ſub cuiusque obitum arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe; nouiſſimo demum *Neronis* anno ſiluam omnem radicitus exaruiſſe.

In variis autem praeter triumphum *Romanorum* ſolemnitatibus, praeſertim vero *in ludis*, atque ſpectaculis *editis*, *populum* pariter ac *proceres laureatos* apparuiſſe, *Tranquillus* [o]), *Tacitus* [p]), alii, nos edocent: in ſingulis fere *feſtiuitatibus priuatorum* quorumlibet *ianuas* pariter fuiſſe *laureatas*, omnium luculentiſſime *Tertullianus* [q]) memoriae prodidit. *Iuuenalis* [r]):

Ornentur poſtes et grandi ianua lauro.

Inſuper S. P. Q. R *Romam redeuntibus* principibus, ſubinde *laureati obuiam procedebant*, *vicae*que, per quas ad vrbem tendebant, haud raro *lauri ramis* aut potius coronis laureis *ſparſae* erant. Lauro coronabantur *principes*, atque laurea corona cincta pulcre in numis *Graecorum regum* capita ſuperbiunt; immo ex quo, *Suetonio* [s]) teſte, *Iulius* ex omnibus a ſenatu *romano* ſibi decretis honoribus, non aliud vſurpauit libentius, quam *ius laureae perpetuo geſtandae*, exinde, inquam,

cingit et auguſtas arbor opaca comas.

De laureatis *imperatorum foribus*, *Plin.* [t]): *Laurus triumphis proprie dicatur*, inquit, *vel gratisſima domibus*, *ianitrix Caeſarum pontificumque: ſola et domos exornat*, *et ante limina excubat.* Auguſto primum hos quondam decretos fuiſſe honores, *Dio* [u]) commemorat. Apud *Naſonem* [x]) ita canit *Apollo:*

Poſtibus auguſtis eadem fidisſima cuſtos
ante fores ſtabis, *mediamque tuebere quercum.*

Conſulum pariter *fores* eorundemque *faſces*, haud ſubinde neglectis ipſis *lictoribus*, apud *Romanos* lauro fuiſſe ornatas, varia veterum loquuntur monumenta.

Quam-

m) Lib. 15 cap. vltimo. n) In Galba cap. 1. o) In Auguſto c. 58. p) Hiſt. lib. 2 c. 55. q) In apologetico et de cor. mil. et alibi. r) Satyr. 10. 65. s) In Iulio c. 45. t) Lib. 15 c. 30. edit. Hard. vol. 1 p. 754. u) Lib. 53. x) Metam. lib. 1.

Quamuis iam ſupra ſuo loco de lauri vſu oeconomico his pagellis quaedam huc pariter reſpicientia inſerta ſint documenta; tamen hoc potiſſimum loco veterum morem notandum exiſtimo, quem in *Heſychio* excitatum ſequentibus verbis cl. WAGNER commemorat, qui: *In conuiuiis apud antiquos*, ait, *lauri myrtique ramus circumferebatur pro lyra, cum qua accumbentes, qui fidibus neſciebant, conuiualia carmina cantabant.*

In *nuptiarum* quoque *ſolemnitatibus domos ornatas* olim fuiſſe *corollis*, plerumque vero *laureis*, pridem praeclare docuit PASCHALIVS [y]); vt vero hanc ex veterum quodam monumento corroboraret ſententiam, mox *Apuleium* [z]) excitat, vbi haec inter alia memorat: *Domus tota lauris obſita, taedis lucida, conſtrepebat Hymenaeum.* Quoniam vero cl. WAGNER [a]) hunc ſe fruſtra requiſiuiſſe locum fatetur; ea de cauſſa ipſam infra adſcripſi paginam, circa cuius vmbilicum modo inſerta totidem verbis legitur ſententia. Hoc vero loco in primis etiam poſt funera illuſtris *Tranſiluani*, B. MARTINI SCHMEIZELII, *commentatio de coronis tam antiquis quam modernis* [b]) conſuli meretur.

Vltimo tandem loco ad *funebres* deſcendimus *pompas*, in quibus pariter haud vulgares laurus habebat vſus. *Laurea mortuis efferendis* nectebatur corona, cumque cremata eſſent corpora, ii, *qui rogo adſiſtebant*, aqua luſtrati, aſpergillis *laureis irrorabantur*: immo *vrnae* et buſta laureata ſaepius in veterum celebrantur monumentis. Praeter auctores h. l. a cl. WAGNERO excitatos, haud ſane ſilentio praetereundi ſunt cel. MART. SCHMEIZELIVS [c]), et clar. GEORG. AVGVST. LANGGVTH [d]).

XII. NVMARIA.

Quoniam nullum ſane vnquam numi, gemmae, marmora, aliaque eruditae antiquitatis λείψανα, experta ſunt contemptorem vel inimicum, niſi aut ignorantem aut inuidum; ea propter dum in ſtadii huius longe amoeniſſimi limine ſubſiſto, iniquis rerum arbitris illud: *Hic ſileat grex imperitus, in iudicia praeceps, et parcat ea flocci facere, ad quae caligat!* acclamandum exiſtimo. Vniuerſos enim altiſſimae vetuſtatis genio litantes, quosque ſui admiratione percellunt cara elapſi aeui pignora,

y) Coronar. lib. 2 c. 16.
z) Metamorph. lib. 4 edit. Elmenhorſt. pag. 154.
a) Opuſculo cit. p. 210.
b) p. 34 et 41.
c) Lib. cit. p. 46. 47. 49. 54.
d) Antiquit. plantar. feral. p. 69. 88 et alibi paſſim.

gnora, haud omnino fugit, in primis numiſmata, *romanae* praeſertim antiquitatis eſſe breuiaria, hiſtoriae facem, priſcae fidei vacillantis teſtes, atque latebroſae lectionis condimentum. *Ex illis*, SMETIVS [e]) inquit, *longa hiſtoriarum ſeries pertexitur, faſti ordinantur, lacunae in hiſtoriis ſupplentur, obſcura nec intellecta explicantur, incerta definiuntur, errores corriguntur. Ad numos enim hiſtoriae, non ad hiſtoriam numorum fides exigenda eſt. Quo quisque hiſtoricorum, non recentiorum modo, ſed et veterum ſegnius, aut diligentius numorum monumenta excuſſit, eo aut infelicius, aut accuratius hiſtorici munere functus fuiſſe deprehenditur.* Idem paullo poſt: *Phyſicus*, ait, *contemplatur animalium proprietates, auium, piſcium, quadrupedum, monſtrorumque, tam falſorum quam verorum formas, etiam vulgo minus notas, plantarum imagines*, reliqua. Non plura hoc loco ad dilucidandam ſingularem rei numariae praeſtantiam atque vtilitatem cumulabo teſtimonia; quippe quod neque inſtituti noſtri ratio poſtulat, neque ſane exiguae commentationis ſingulis his pro dignitate fuſius enarrandis pagellae ſufficiunt. Si qui tamen dulcedine veteris elegantiae atque amore ſtudii, apud nos propemodum neglecti, capti tenentur, atque eorum, qui quae ignorant continuo vituperant, latratus aſpernati prolixiora hac de re euoluere diſcupiunt ſcriptis conſignata monumenta; iisdem praeter HEMELARIVM [f]), CLAVD. CHIFFLETIVM [g]), praeſertim lucidiſſimum politioris litteraturae ſidus, perill. EZECH. SPANHEMIVM [h]), atque eximium ſaeculi noſtri antiquarium, *Viennenſium*que mathematicum, ERASM. FROELICH [i]), e ſoc. Ieſu patrem, de meliori commendamus: tandemque etiam praefatio noſtra [k]), nuper deſcriptioni vernaculae *Numophyl. Schulziani* praemiſſa, nonnullas lectoribus numiſmatum antiquorum declarabit vtilitates. Tanti autem olim aeſtimabatur laurus, vt nullam plantarum ſpeciem in numis, gemmis, aliisque antiqui orbis reliquiis, ſaepius ſuperbire videas, quam hanc *Apollini* ſacratam frondem; quippe quae non ſolum *Apollinis* [l]) vbique fere cingit imagines, verum, vt me breuibus expediam, *Vulcanum* [m]), *Ianum* [n]), *Herculem* [o]), *Deos Penates*

e) Antiquit. neomag. p. 174. f) In praef. ad arſchotana numiſmata. g) In lib. de numiſm. antiquo c. 3. h) De praeſt. et vſu numiſmat. antiqu. diſſ. 1. i) Quatuor tentam. in re numaria p. 1 ſqq. k) Beſchreibung des ſchulziſchen Münzcabinet erſter Theil. l) Leonh. Auguſtini gemmae part. 1 tab. 2. Beger theſ. brand. tom. 1 p. 493. Ebermayeri capita deor. tab. 1 n. 20. Numophyl. Schulz. tom. 1 tab. 2 n. 7 p. 73 et alibi.
m) Oiſelii theſaur. antiqu. numiſm. tab. 43 n. 9. Numoph. Schulz. p. 92.
n) N. S. p. 99. o) Auguſtin. gemmae p. 1 t. 4. 5. 7.

teſ [p]), *Hygeam* [q]), aliaque paganorum numina, haud raro corona laurea exornat; immo innumera fere Graecorum Romanorumque numiſmata *deam Victoriam* dextra lauream coronam tenentem depingunt. Haud vero ſolum laureata *Apollinis* effigie antiquitatis reliquiae ſuperbiunt; verum ſubinde *vaticinantis geſtu*, dextra lauri ramum gerens [r]), adumbratur *Apollo*: atqui quum A. V. C. IↃLXXIII per totam fere *Italiam peſtiferus* graſſaretur *morbus*, diis et praecipue *Apollini* vota facientes mox in numis ſuis quadrigis inſiſtentem, laeua ſagittam peſtiferam et arcum, dextra vero ramum laureum luſtralem tenentem pagani exhibebant *Apollinem* [s]); qui in *Treboniani Galli* numis, APOLLINI SALVTARI inſcriptis, nudus, dextra pariter lauri ramum, ſiniſtra vero citharam tenens, exprimitur; quae vero numiſmata cuſa ſunt, quo tempore denuo ſaeua peſtis per *romani* imperii prouincias graſſabatur, quae ſub finem anni CHRISTI CCLI in Oriente exorta, quindecim annis perdurans, totam fere afflixit *Europam* [t]). Apollo autem in numis haud raro CONSERVATOR, apud Graecos vero ΣΩΤΗΡ, *ſeruator* ſalutatur, aut Ἐπικούριος, Ἀλεξίκακος, Ἀκέσιος, *Auxiliator*, *Auerruncus*, *Medicus* [u]). *Apollinis tripodem* et *vaticinia reſpicientem lauri ramum* pariter non ſolum numi [x]), verum etiam gemmae [y]) ſpectatorum oculis ſubiiciunt. *Antiochenſium* lauri ramo inſignita numiſmata [z]), *Philoſtrati* praeclare confirmant ſententiam, qui *Antiochenſes* ob *Daphnes* memoriam, laurum omnium arborum maxime coluiſſe commemorat. Cui praeterea volupe eſt, oculis luſtrare laurea cincta, atque felicis arboris ramis ſtipata *deorum* gentilium *templa* [a]), is adeat, ſuadeo, numiſmata; quae nobis pariter et *Dianae* [b]) et fratri *Apollini* lauro olim inſtituta ante oculos collocant *ſacrificia*. *Victorum* atque *poetarum* capita [c]) lauro redimita itidem et in gemmis et numis adumbrantur. *Romuli* [d]), primi *Romanorum* regis et triumphatoris venerandam, atqua lauro inſignem effigiem, numi per tot ſaeculorum ſeriem noſtris reſeruarunt temporibus. In *Graecorum* atque *Romanorum* numis cernitur corona laurea, quam reges et imperatores *triumphantes* in capite geſtabant, qui mos ſub *Romanorum* rei publicae

p) N. S. p. 158. 272. q) N. S. p. 73. r) Froelich quat. tentam. p. 117. s) N. S. p. 93. t) Banduri impp. Rom. numiſm. tom. 1 pag. 58. u) Froelich lib. cit. p. 339. x) Patin. impp. Rom. numiſm. p. 306. y) Ebermayeri cap. deor. tab. 16 n. 406. z) Begeri theſaur. brand. tom. 1. p. 511. a) Oiſelius lib. cit. tab. 37. Froelich. p. 278. Ant. Agoſtini dialog. p. 148. b) Patin. impp. Rom. numiſm. p. 235. Ebermayeri cap. deor. tab. 15 n. 403. c) Leonh. Auguſtini gemmae t. 25. Ebermayer lib. cit. tab. 14. 15. d) N. S. tab. 4 n. 9.

blicae initio introductus, ad ſeros vsque principes propagatus eſt: immo ex eodem ritu adhuc hodie *imperatorum regumque capita* in numis laurea corona cingit. *Iulius Caeſar*, qui bello ciuili rei publicae *romanae* ſtatum euertere aggreſſus eſt, *Tranquillo* [e]) teſte, ex omnibus ſibi a S. P. Q. R. decretis honoribus, non aliud aut recepit aut vſurpauit libentius, quam *ius laureae perpetuo geſtandae*, ad caluitiem nimirum tanto melius obtegendam, quae tamen quodammodo in quibusdam *Caeſaris* numis apparet, vt et capillus deficiens a vertice reuocatus [f]). Eodem capitis ornatu poſtea *ſinguli* vſi fuerunt *Auguſti*, vsque ad tempora *Conſtantini Magni*, qui translata Conſtantinopolim imperii ſede, praeter lauream inſuper etiam regium inſigne, diadema, ſiue faſciam gemmatam, capiti adaptare iuſſit [g]). Qui gladiatoriis *ludis* aliisque veterum *athleticis exercitationibus* intererant, laurea corona redimiti aſſidebant ſpectatores [h]). Bini lauri rami, qui in Auguſti numis auerſam exornant paginam [*]), praeclare *Plinii* et *Naſonis* monumenta illuſtrant, quorum illi laurus *gratiſſima Caeſarum ianitrix* dicitur, *quae ſola et domos exornat, et ante limina excubat;* hic vero ita [i]) canit:

Cur tamen appoſita velatur ianua lauro,
cingit et Auguſtas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus iſta triumphos?

Ne vero diutius quam par eſt, his, quae pauciſſimos pelliciunt, immoremur deliciis; ea propter mox ſubiungenda arctioribus circumſcribenda veniunt limitibus. In numis autem *Roma Victrix* [k]) dextra lauri ramum oſtentans exprimitur: *Roma Felix* [l]) pariter felicis arboris fronde gloriatur; immo *Victoria* alata ſeminuda ad *Romam* feſtinans, eidem et elata dextra corollam lauream oſtentat, et ſiniſtra captiuum religatis poſt terga manibus, habitu lugubri conſpicuum, capillis arreptum, deae *Romae* ſedentis pedibus ſubiicit [m]). *Hilaritas* in numis haud raro dextra ramum foliaceum ſuſtinet [n]). Virides enim arborum frondes laetitiae erant ſymbolum; vnde in publico et priuato gaudio viae, templa, ianuae, domus, totae denique vrbes, ab omnibus fere gentibus exornabantur olim arborum frondibus, potiſſimum autem lauri ramis. Qua-

e) In Iulio Caeſ. c. 45 edit. Patin. p. 33. *f*) Oiſelii theſ. antiquor. numiſm. tab. 1 n. 1. 3. N. S. tom. 1 tab. 5 n. 9. *g*) Oiſel. lib. cit. tab. 14 n. 5. *h*) Mercurialis de arte gymnaſt. edit. amſtelod. p. 194. *) Oiſel tab. 92 n. 12. N. S. tom. 2 n. 8. *i*) Triſt. lib. 3 eleg. 1 v. 39 ſq. *k*) Oiſel. tab. 29 n. 5. N. S. tom. 1 p. 320. *l*) Oiſel. tab. cit. n. 8. *m*) Oiſel. ibid. n. 12. *n*) Oiſel. tab. 55 n. 4. 5. 8.

Quapropter *Tertullianus*: *Cur die laeto*, inquit, *non laureis poſtes obumbramus?* Et paullo poſt: *Quam recentiſſimis et ramoſiſſimis laureis poſtes perſtruebant.* Quoniam vero ad deſignandam temporum *laetitiam* non ſaltem rami, verum etiam ſerta et coronae adhibebantur; hinc pariter in numis o) LAETITIAM TEMPORVM vel AVGVSTORVM publicam reſpicientibus matrona decoro habitu ornata dextra corollam porrigens exprimitur. *Hyginus*: *Homines*, ait, *in maxima laetitia victoriisque coronas habere conſueuerunt.* In *Othonis* praeterea numis p) *ſecuritas populi romani* aut lauri ramum, aut corollam lauream tenet, quae ſymbola haud dubie *Othonis* victoriis ſecuritatem populo *romano* acquiſitam denotare debebant. Inſuper autem in veterum *Romanorum* numis *Honos* q) et capite laureato, et elata dextra lauri ramum tenens adumbratur. *Auguſtus* r) in numis *currui triumphali inſiſtens* altera manu equorum regit habenas, altera vero lauri ramum porrigit. De lauro autem, quam aquila ex alto in Liuiae gremium abieciſſe dicitur, *Plinius* s): *Ex ea triumphans poſtea Caeſar*, inquit, *laurum in manu tenuit*, *coronamque capite geſſit; ac deinde Imperatores Caeſares cuncti.* Hinc *Veſpaſianus* t) vbi de *Iudaeis*, *Traianus* u) vero de *Dacis*, triumpharet, pariter lentis quadrigis triumphalibus inſiſtentes ſua lauro exornarunt numiſmata. Imperatori triumphanti olim a militibus et populo IO IO TRIVMPHE! acclamari ſolitum erat. Vnde *Horatius* x):

Tuque dum procedis, IO TRIVMPHE,
non ſemel dicemus, IO TRIVMPHE,
ciuitas omnis, *dabimusque diuis*
thura benignis.

Ouidius y) autem, vbi triumphi pompam deſcribit, inter alia ita canit:

Tempora Phoebea lauro cingentur; IO*que*
Miles IO, *magna voce*, TRIVMPHE, *canet.*

Praeclare haec omnia numus z) illuſtrat, cuius auerſae aream laurus arbor occupat, cum ſubſcriptione IO IO TRIVMP. Praeter lauri ramum inter *ornamenta triumphalia* pariter referebantur, ſceptrum eburneum, in cuius apice conſpiciebatur aquila aurea, corona laurea, et toga picta, aut potius tunica palmata, quae omnia nullibi amplius conſpici poſſunt, niſi

o) Oiſel. tab. 55 n. 9. 10. 11. 12. p) Oiſel. tab. 59 n. 9. 10. 11. q) Oiſel. tab. 64 n. 4. 5. 8. N. S. tom. 1 tab. 4 n. 4. r) Oiſel. tab. 91 n. 10. 12. s) Hiſt. nat. lib. 15 c. 30. t) Oiſel. tab. 91 n. 7. u) Oiſel. ibid. n. 9. 11. x) Lib. 2 od. 4. y) Triſt. lib. 4. eleg. 2. z) Oiſel. tab. 92 n. 7.

niſi in antiquo numiſmate [a]). Plura de victoriis et triumphis, in familiarum *romanarum* potiſſimum monumentis obuia, docet SPANHEMIVS [b]). *Tres coronas laureas* quondam in triumuirorum rei publicae conſtituendae honorem ſellae curuli impoſitas adhucdum aſſeruant numiſmata [c]). Praeter alia inſigniora veteris aeui cimelia, quo in primis *Othones*, *Vitellios*, *Pertinaces*, *Didios Iulianos*, *Peſcennios*, aliaque raritate conſpicua elapſi aeui pignora refero, *Numophylacium Schulzianum* pariter argenteus quidem Veſpaſiani numus exornat [d]), in cuius poſtica parte columna, cum clypeo votiuo et diota inter duas laurus conſpicitur. Diota haec vtrinque lauro ſtipata procul dubio *vrnam*, qua Veſpaſiani cineres reconditi erant, inter conſitos vel defixos, ſenatus nutu, lauri ramos, poſt imperatoris conſecrationem collocatam reſpicit. In eodem ampliſſimo apparatu numario etiam *Helenae Conſtantini M.* matris aereus tertii moduli numus SECVRITAS REIPVBLICAE in auerſa parte inſcriptus aſſeruatur, in cuius area matrona velata manu dextra *inuerſum lauri ramum* tenens conſpicitur. Hoc autem emblemate appoſite ſatis illuſtratur illud Graecorum prouerbium: *δαφνίνην φερῶ βακτηρίαν*, *laureum geſto baculum.* Laurum enim, vt alibi iam innuimus, aduerſus venena, fulmina, aliaque pericula plurimum valere eaque auertere poſſe ſuperſtitioſa credidit antiquitas. Atque haec aliaque bene multa priſcae magnificentiae laurus exornat monumenta.

OBSERVATIO.

Praeter dioeciam lauri ſpeciem, quam ſolam ſingula praemiſſa reſpiciunt capita, celeb. LINNAEVS, quique eum ſequuti ſunt inſigniores huius ſaeculi botanici, ad lauri genus retulerunt: 1) Caſſiam Cinnamomeam, quae LINNAEO rectius *Laurus foliis ouato-oblongis trineruiis vnientibus: baſi neruos* audit, cuius cortex officinis *Cinnamomum* dedit; 2) Caſſiam *malebaricam*, quam LINNAEVS *Laurum foliis lanceolatis trineruiis: neruis ſupra baſin vnitis* appellat, cuius cortex eſt officinarum *Caſſia lignea*; 3) Laurum Camphoriferam, LINNAEO *Laurus foliis lanceolato-ouatis trineruiis, neruis ſupra baſin vnitis* dictam, cuius reſina eſt *Camphora;* 4) Cornum marem odoratam, folio trifido, margine plano, quae LINNAEO *Laurus foliis integris trilobisque* dicitur, vnde in pharmacopoliis lignum et cortex *Saſſafras*; 5) Arborem *virginianam*, citriae folio, a LINNAEO *Laurus foliis eneruiis obuerſe ouatis vtrinque acutis integris annuis* appellatam, cuius reſina officinarum *Benzoe*; 6) Tandem etiam Canellam *peruanam*, quam LINNAEVS *Laurum foliis eneruiis obuerſe ouatis obtuſis* nominat, quae officinis *Canellam albam* ſiue *Corticem Vinterani* ſuppeditat. Tot tantaeque, profecto praeſtantiſſimae, plantarum ſpecies Laurum exornant, vt adeoque illa LINNAEANA [e]), qua opellae noſtrae titulus ſuperbit, longe veriſſima ſit ſententia. Ex recenſitarum autem lauri ſpecierum inter ſe conuenientibus determinationibus ſequentem LINNAEVS formauit characterem genericum [f]).

GE-

a) Oiſel. tab. cit. n. 10. b) De praeſt. et vſu numiſmat. diſſ. 10 tom. 2 p. 210 ſqq. c) Oiſel. tab. 96 n. 12. d) N. S. tom. 2 n. 160. e) Hort. cliff. p. 155. f) In generibus plantar. p. 174.

GENVS.

CALYX nullus g): niſi corollam rectius calycem diceres.

COROLLA. *Petala* ſex h), ouato-acuminata, concaua, erecta, *alterna* exteriora.

Nectarium conſtans tuberculis tribus, acuminatis, coloratis, in duas ſetas deſinentibus, germen circumſtantibus.

STAMINA. *Filamenta* nouem i), corolla breuiora, compreſſa, obtuſa, terna in ſingulo ordine. *Antherae* margini filamentorum ſuperne vtrinque adnatae.

Corpuſcula duo, globoſa, petiolo breuiſſimo ſingulo filamento intimi ordinis prope baſin affixa.

PISTILLVM. *Germen* ſubouatum. *Stylus* ſimplex, aequalis, longitudine ſtaminum. *Stigma* obtuſum, obliquum.

PERICARPIVM. *Drupa* oualis, acuminata, vnilocularis, corolla comprehenſa.

SEMEN. *Nux* ouato-acuminata. *Nucleus* eiusdem formae.

OBS. *Maxima ſpecierum pars*, LINN. inquit, *vna cum* Cinnamomo *et* Camphora *hermaphrodita eſt: in nonnullis tamen Mares ſeorſim in* dioecia *prodeunt, vt in lauro Tournef. vbi etiam ſaepius ſtamina octo ad quatuordecim; corolla quadripartita nuda.* IDEM: *Corpuſcula*, addit, *filamentis quibusdam adnexa, eſſentialem praebent characterem.*

CLASSES.

Tandem claſſes, quibus Laurum ſubinde inſeruerunt Syſtematici, hic demum ſubiungendas eſſe ordinis ratio, immo recentiorum botanicorum, praeſertim vero LINNAEANAE methodi, leges iubent.

CAESALPINI 1 Arbor corde e ſeminis apice: ſeminibus ſaepius ſolitariis. 4) *pericarpio tectis*, α) *flore ſaepius in ſede fructus.*

MORISONI 1 Arbor. 3 *Nucifera.*

g) Eximius Lipſienſium Botanicus, atque h. t. eiusdem illuſtris academiae RECTOR MAGNIFICVS, celeb. CHRIST. GOTTL. LVDWIGIVS: *Calix proprius nullus*, inquit, *vel exiguus.*

h) LVDWIGIVS: *Corolla quatuor, vel pluribus laciniis profundis inſignis.*

i) IDEM: *Stamina octo, nouem, plura.* Hinc eidem viro ill. laurus octanthera dicitur. Vid. LVDW. definit. generum plantar. p. 35.

RAII XXIX Arbor fructu vmbilicato. 3 *Baccifera, vmbilicata, monopyrena.* Saſſafras. XXX Arbor fructu non vmbilicato. I *Prunifera.* Cinnamomum. XXXI Arbor fructu ſicco 2 *Miſcellanea.* Laurus.

HERMANNI XXV Arbor fructu per maturitatem ſicco I *Monococco.*

BOERHAAVII XXXIII Arbor monopetala. I *Ouarium intra florem; fructus mollis, ſeminibus calloſis.*

ERNSTINGII XXXIV Arbor monopetala. I *Ouarium intra florem; fructus mollis, ſeminibus calloſis.*

RIVINI IV Regularis tetrapetala. 9 *Bacca ſ. pericarp. molli.*

RVPPII IV Regularis tetrapetala. 10 *Bacca monopyrena.*

LVDWIGII I Regularis monopetala. 12 *Bacca* 1) *monopyrena.* Laurus. 2) *Dipyrena.* Camphora, Benzoin.

KNAVTI I Monopetala vniformis, 22 *Capſula bicapſularis carnoſa, capſulam monoſperm. includens.*

TOVRNEFORTII XX Arbor monopetala. I *Piſtillum in fructum mollem, ſeminibus calloſis.*

MAGNOLII XV Arbor calice externo et interno 2 *Flore monopetalo.*

LINNAEI in calycina methodo XVI Incompleta 4) *ſexfida, hexapetala.*

LINNAEI in ſyſtemate ſexuali IX Enneandria I *Monogynia.*

ROYENII IX Incompleta 6 *Flore ſexfido.*

LVDWIGII I Monopetala regularis VII Octanthera A) *monoſtyla.*

WACHENDORFFII B Monoperiantha h *Enneaſtemon.*

OBSERVATIO.

Quum fere tota iam typis exſcripta eſſet haec noſtra commentatio, tum demum ex celeb. LINNAEI *indice vegetabilium officinal. per Sueciam receptorum*, lib. I *Mat. medicae* ſubiuncto, intellexi, ſupra pag. 13 perperam de officinarum *Sueciae oleo cocto* actum eſſe: cui leuioris momenti errato olei cocti, in paſſim celebrata eximii viri *Mat. medica*, typothetae incuria, noſtrae ſpeciei lauri ſubiuncta ſignatura ſatis aptam praebuit anſam. Paullo craſſius erratum typographicum occurrit ſupra pag. 7 et 8, vbi in tribus diuerſis locis vocem *ſynonyma* ſatis mendoſe typis exſcriptam deprehendes: plura quidem, fateor, in iterata curſoria harum pagellarum perluſtratione ſeſe oculo obtulerunt, facilius tamen excuſanda typothetarum σφαλματα, quae, quoad maximam partem, vix forte lyncei oculi, nubilibus praeſertim his diebus, tam accurate, vt prorſus nihil ſubterfugeret, arbitrari potuiſſent.

GENEROSISSIMO ATQVE CLARISSIMO

MICH. GOTTL. AGNETHLER

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Quod et vtilitas publica me et meus in TE amor a TE cultus officioſiſſime hortatur, libenter facio vt TVAM virtutem, induſtriam, dexteritatem atque doctrinam celebrari, dignitatemque amplificari publice gaudeam, neque hanc ſolemnis gratulationis opportunitatem nactus vel ipſo ſilentio TIBI deeſſe aut TVI amantium cuiquam concedere videar. Malo igitur maiorem TVI quam mei rationem habere, otiique male collocati, quo certe nec abundo nec abutor, quam neglecti officii ſuſpicionem facere, atque aliquid ad TE litterarum praecipitare, quibus breuiter et ſummatim atque, vt fieri poterit, diligentiſſime et veriſſime enarrem, qualem TE hos octo annos et quod excurrit cognitum et exploratum habui, ad meum perpetuum iudicium de TE TIBI non magis quam aliis approbandum, quorum aeque ac mea magni intereſt non ignorari vitam a TE laudabiliter actam rationesque ſtudiorum, quibus effeceris vt tanti a me fias, quanti TE facio, faciamque conſtanter. Duplex litterarum ſtadium emenſus es, et in vtroque plus itineris confeciſti, quam bene multi in alterutro

per omnem vitam decurrendum ſibi ſumunt, atque neutrius ambitum quaeſtuoſis doctrinis et ad victum parandum neceſſariis circumſcribendum duxiſti. Anno cIↄ Iↄcc xxxxii huc conceſſiſti ſanctiori doctrinae operam daturus, morboque diuturno vexatus medicum et breui poſt hoſpitem conſecutus deſideratiſſimum IO. HENR. SCHVLZIVM, in eius conſuetudine ac familiaritate humaniorum litterarum, antiquitatis, philologiae, ſcientiaeque numiſmaticae ſacris initiatus, ita philoſophiam omnem, hiſtoriam, patriae inprimis duce MART. SCHMEIZELIO, et theologiam, in qua mihi TE formandum tradidiſti, diligenter et enixe tractaſti, vt plurium diſciplinarum intelligentiam vſumque complexus eximie profeceris. Quae poſtea interceſſerunt triſtiora virtuti TVAE progreſſibusque faciendis non obſuerunt. Per aliquot menſium grauiorem morbum SCHVLZII inſigne pietatis exemplum dediſti, cui etiam poſt illius obitum continuatae ſatisfacturus labores ſubiiſti conficiendi indicis bibliothecae ipſius et deſcribendi illuſtrandique nummophylacii commentario, ſingulari eruditione innumerisque bonae frugis multaeque lectionis obſeruationibus referto, cuius prior pars anno cIↄ Iↄcc xxxxvi cum ſelectioribus clarorum virorum ad b. SCHVLZIVM epiſtolis in lucem prodiit. Ipſa virium contentio laborumque pertinacia hic *Lipſiae*que, quo belli tempore ſuperiorum iuſſu commigrandum fuit, operi perficiendo inſumta fecit, vt redux huc in grauiorem haemoptyſin incideris, atque in vitae diſcrimen adductus, quum ſenſim conualeſceres aliud vitae ſtudiorumque genus amplectendum atque medicinae diſcendae faciendaeque TE conſecrandum putaueris. Nouum hoc ſtadium anno cIↄ Iↄ ccxxxxvi ita ingreſſus es, non leuitate animi aut ſeuerioris virtutis fuga aut profano rerum diuinarum faſtidio, ſed valetudinis cura ſtudioque

vel

vel ſic melius inſeruiendi patriae, vt neque doctrinae ſanctioris, neque priſtini praeceptoris, neque elegantiorum litterarum deſertorem egeris. Non commemorabo progreſſus in ſcientia arteque medica factos ſub celeberrimis doctoribus, curandique difficiles morbos felicem ſollicitudinem, cuius me aliquoties teſtem habuiſti oculatum; ſed ea duntaxat indicabo induſtriae TVAE documenta in litteras relata, quae vel iam prodierunt vel opportune edenda mihi innotuerunt, ita elaborata, vt vel ſola hominem laborioſiſſimum requirant, et plerorumque doctorum academicorum ſpecimina publica longe ſuperent. Praeter indicem librorum nummorumque *ſchmeizelianorum*, editionem variorum ſcriptorum botanicorum LINNAEI, atque commentarii *ſchmeizeliani* de nummis aureis et argenteis *Tranſiluaniae*, vindiciasque celeberrimi IVNCKERI et HOFFMANNI a plagio *harderwicenſi*, edita notitia verſionis *ſchulzianae* vitarum PLVTARCHI, acceſſionibus ad nouam editionem lexici medici BLANCARDI, deſcriptionis *germanicae* nummophylacii *ſchulziani* parte prima, atque inprimis commentatione de *ſyracuſanis* regibus et tyrannis ex nummis *graecis*, quae volumine tertio acceſſionum ad grande et praeſtabile opus hiſtoriae vniuerſae a ſocietate eruditorum in *Anglia* ſcriptum comparet, ipſoque hoc commentario de *lauro* laurea digno, de bonis litteris praeclare meritus es: atque praeterea ſyllogen opuſculorum immortalis *Schulzii*, eiusdem iſagogen in rem et ſcientiam numiſmaticam, neque minus illuſtrationem vberiorem inſcriptionis *arabicae* pallii inter inſignia auguſta imperatorum *Germaniae* conſpicui, vitam eiusdem vberius deſcriptam cum vindiciis contra inſimulationes *ludewigianas*, nummophylacii *ſchulziani* commentario perpetuo illuſtrati partem alteram, et eiusdem deſcriptionis *germanicae* partes reli-

quas

quas tres prelo paraſti ea induſtria, vt vel recentiſſime inter medias occupationes alias addiſcendae linguae *arabicae* laborem non detrectaueris ad nummos ea lingua inſcriptos, *cuphicos* inprimis, interpretandos meliusque diiudicanda ſententiarum diuortia de controuerſa inſcriptione pallii memorati. Habes iam, amiciſſime cariſſimeque *Agnethler*, quae TIBI vna cum laudabili capeſſendorum honorum academicorum ab ordine ampliſſimo tam philoſophico quam medico cunctatione, quos non redimere ſed mereri voluiſti omniumque, qui TE norunt, iudiciis approbare, et incredibili ſpe a TEmet ipſo de TE facta, vere et ex animo gratulor, DEVMque indulgentiſſimum TIBI, TVIS, patriae, bonis litteris mihique fortunare atque diu perpetuare cupio. Reditum TVVM in patriam, quem paras, moleſte fero, non quod dulcem patriae amorem improbem aut indigner, vel TVIS TE inuideam, vel nondum diu ſatis peregre vixiſſe exiſtimem, vel ampliora auctoramenta virtutis et eruditionis, quam apud nos, domi TE praeſtolari ignorem, ſed quod iacturam doctrinae et induſtriae TVAE, quae ad ornamenta academiae noſtrae valde pertinet, TVAEque conſuetudinis deſiderium doleo. Nihilo tamen ſecius vt felix ille fauſtusque ſit, atque in rem TVAM cedat, TIBIque pariter ac bonis litteris et ſalutis vtilitatisque publicae emolumento conducat, benigniſſimo DEI optimi maximi numini confidenter ſupplico, cui precibus meis votisque pro ſalute et incolumitate TVA nuncupatis commendatiſſimus, vale et mei, ſi merebor, non immemor viue feliciter. Dedi Halae ad Salam in academia Fridericiana d. XXVIIII Ianuar. CIↃ IↃCC LI.

GENE-

GENEROSO, CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BVCHNER.

Neqvaqvam utique hoc ipſo tempore, qvo laudabilis ſtudii, in arte praecipue ſalutari apud nos addiſcenda per aliqvot annos collocati, metam attingis, committere potui, ut nullum omnino amoris in TE mei ſignum, virtutumqve TVARVM teſtimonium exiſtat. Qvo propius enim TE novi, qvoqve accuratius vim mentis ſagaciſſimae perſpexi, eo impenſius TE amo, ac doctrina TVA eleganti morumqve ſingulari integritate ſummopere delector. Neque enim leve aliqvid tritumque TIBI placet, nec in vulgari ſaltem ſtudiorum ſubſiſtis curſu, ſed optimam vitae ſecutus rationem, in pulcherrimo et utiliſſimo doctrinae virtutisqve genere elaboras, ac honeſtiſſimae laudis ſtimulos ipſe TIBI admoves, ut praeclara qvaeqve alacri enitaris animo. Tempus operamqve unice ſemper poſuiſti in rebus egregiis, qvae praecipuum in vita decus habent, et animum ſaluberrimis divinae humanaeqve ſapientiae inſtruunt praeſidiis. Hinc Latii, Graeciae, aliarumque regionum perſcrutaturus antiqvitates, praeſtantiſſimos qvosqve veteris aevi ſedulo evolviſti ſcriptores, vt inde et probatas dicendi ſcribendiqve rationes cognoscas, veraqve a falſis aut commentitiis tanto exactius diſcernere valeas. Monſtrat id luculentiſſime egregium TVVM de *Lauro* conſcriptum inaugurale ſpecimen, qvo viam TIBI ad ipſam Apollinis ſedem parare decreviſti, dudum promeritam, exinde omnibus adplaudentibus, certiſſime reportaturus *Lauream Doctoralem.* Magnopere igitur

I non

non ſolum reipublicae litterariae, ſed et inprimis Patriae TVAE, de cive optimis ſcientiis tam egregie inſtructo gratulor, enixeque ſimul voveo, ut induſtriae TVAE uberrimos, ac iucundiſſimos propediem conſeqvaris fructus, auſpiciisqve divinis et Maecenatum favore dignum virtute et doctrina TVA conſeqvaris locum, in quo feliciter collocatus, de litteris ornandis aegrisqve ſanandis inpoſterum qvoqve optime mereri qveas. Vale! Dab. in Regia Fridericiana, V. Calendar. Februar. MDCCLI.

VIRO
GENEROSISSIMO, DOCTISSIMO
MICH. GOTTL. AGNETHLER,
PHILOSOPHIAE MAGISTRO,
HONORVM MEDICORVM CANDIDATO DIGNISSIMO,

S. E. O.

IOANNES IOACHIMVS LANGE,

MATH. PROF. PVBL. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVR. ET REG. BORVSS. COLLEGA.

Tam multa tamque varia ſunt, quae mihi TVI cauſſa, dum abitum paras, in memoriam redeunt, vt ea breui ſcriptione vix videar comprehendere poſſe. Acceſſiſti ad noſtram Academiam ante octo et quod excurrit annos humanioribus litteris atque linguarum ſacrarum et aliarum orientalium notitia probe inſtructus. Vidimus TE ea qua par eſt ſedulitate Theologicis ſtudiis operam nauare. Teſtes ſumus TE, non iuuenili quodam

quodam impetu, ſed nutu diuino ductum, ad ſtudia medica acceſſiſſe, eaque pari ſedulitate et felicitate abſoluiſſe. Minime omiſiſti ea, quae philoſophia et elegantiores litterae ſtudio Theologico atque Medico ſuppeditant ornamenta et ſubſidia, atque his feliciter adiunxiſti antiquaria et numiſmatica. Ea profectuum TVORVM iam exſtant publica ſpecimina, quibus in rebus difficilioribus et ſatis arduis de orbe litterario iam bene meritus es, et quae ſponſionis loco eſſe poſſunt, TE, ſi Deus votis noſtris porro adnuerit, in poſterum plures quoque in publicum emiſſurum eſſe operas, ſingulari ſe commendaturas vtilitate. Haec omnia, quae haud exigua ſunt et hoc tempore in pauciſſimis obſeruantur, cum morum elegantia et probitate coniuncta effecerunt, vt optimus quisque apud nos eo maiore amore et cultu TVAS proſequutus fuerit virtutes, quo propius cuique eas intueri licuit. Hinc quoque TIBI ab ampliſſimo Philoſophorum Ordine paucis ab hinc menſibus elapſis ea facilitate, qua digniſſimis id fieri ſolet, ſunt collati honores philoſophici. Sed alia adhuc reſtant commemoranda, eaque TIBI magis propria. Prouidum numen TVA vtitur opera, vt, quod respublica litteraria ex praematuro obitu duorum celeberrimorum in Academia noſtra virorum damnum capere potuiſſet, magna ex parte auerteretur. Nummophylacium Schulzianum, a TE conſeruatum, illuſtratum, auctum, publice iam TVAM omnibus commendat dexteritatem; et ſi aliquando alii celeberrimi viri labores poſthumi TVA opera atque cura in lucem prodierint, TIBI debitas referent gratias ob tutelam bene geſtam. Nunc cum laurea medica ſummo iure TVO ornatus in patriam redis, nihil ſupereſt, quam vt facile iter fauſtiſſimosque apprecer ſucceſſus. Intelligis cur TE diligam et colam, certus eſto, memoriam TVI numquam apud me intermorituram, TE nunc valere iubeo et vt mihi porro faueas obteſtor. Vale. Dabam Halae propter Salam pridie Kal. Febr. M DCC LI.

VIRO
GENEROSO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO,
MICH. THEOPH. AGNETHLERO,
CELEBERRIMO LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO, SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

C. D. CARSTED.

Arboris omne genus tum theſſala Tempe miniſtrant,
Dum nemus omne comae viridantis iactat honorem,
Vnam prae reliquis laurum delegit Apollo,
Inclutus ille deus, medicis, idemque Camoenis
Auctor et antiſtes artis cantusque ſonori,
Qui mox aegrotos pollentibus erigit herbis,
Mox ferit horrendum telis arcuque draconem.
Virgo fuit quondam, nunc frons pulcerrima Daphne,
Laudibus haec nullis impar vel virgo, vel arbor,
Credere ſi fas eſt Phoebi de gente poëtis.
Ipſe deus Daphnaeus enim de nomine Daphnes
Dictus, vtut primum conſpecta virgine flagrans,
Plus quam feminei vultus euaſit amator,
Poſt etiam formae variatae manſit amator.
Cynthius hinc princeps lauro ſua tempora cinxit,
Et voluit quemuis praeſtanti laude decorum
Victoremue triumphantem, vatemue celebrem,
Atque ſalutari medicum virtute potentem
Seu laurum geſtare manu, ſeu mandere laurum,
Seu caput e lauro nexa redimire corona.
TV quoque, VIR IVVENIS, generoſi ſtemmatis haeres,
Non contentus eo, quod laurus auita maneret,
Hanc niſi parta recens adſit, marcere putaſti.
Laurum deſcribens meruiſti laurea ſerti
Praemia, quae tandem Meditrina dante capeſſis.
Haec ego dum plaudens grator, lubet iſta ſilere
Quae TVA iam doctum diſperſit fama per orbem
Scripta, velut cedro ſic lauro digna perenni.

Miror

Miror ego tantas laudes: TIBI laurea ſilua
Creſcit, vt ex quauis decerpas arbore ramum.
Gaude ſorte TVA, felix laetare, diuque,
Numquam fata TVIS votis adverſa reſiſtant,
Sed fortunatum TIBI currat molliter aeuum.
Hei mihi! ſi tanto coeli diſcrimine diſtem,
Vt veniat blandus de TE vix rumor ad aures.

Heut öfnet ſich der Ehrentempel
Dir, Freund, zum zweitenmale ſchon,
Du giebſt der Welt ein ächt Exempel,
Die Ehre ſey des Fleiſſes Lohn.
Von Deinem Rume wil ich ſchweigen,
Die Weisheit iſt Dein Eigentum,
Diß müſſen Deine Proben zeigen,
Was dient wol mehr zu Deinem Rum?
Mein Kiel darf Dir kein Denkmal ſtiften,
Dein Lob gebraucht kein fremdes Licht,
Wer ſchon bekant durch eigne Schriften,
Braucht eines andern Denkmal nicht.
Nim von der Freundſchaft, die mich treibet,
Wenn Dir ein Wunſch gefallen kan,
Den eines Freundes Hand Dir ſchreibet,
Auch dieſen heiſſen Glückwunſch an.
So wie ſich Rum und Glücke mehren,
So wie Dein Lorber doppelt grün,
So müſſe auch bey Deinen Ehren
Dir Dein Vergnügen doppelt blühn.
Wenn endlich einſt mit Lorberzweigen
Dein Bild der ſpäten Welt erſcheint,
Wird auch auf mich die Freundſchaft zeigen,
Und ſagen: Dieſer war ſein Freund.

Hiedurch empfiehlt ſich zu des Hrn. Doctors Hochedelgebornen
beharlichen Wohlgewogenheit

Andr. Theod. Conrad von Heydendorff,
der Arzneigelehrheit Befliſſener,
aus Mediaſch in Siebenbürgen,
Opponent.

CLARISSIMO GENEROSO
ATQVE TAM VARIAE QVAM SOLIDAE ERVDITIONIS
RARISSIMIS DECORIBVS ORNATISSIMO
ART. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTRO

MICH. GOTTL. AGNETHLERO

EQVITI TRANSILVANO
PRO OBTINENDIS SVPREMIS
APOLLINARIS DOCTRINAE HONORIBVS
PVBLICE DECERTANTI

LAVREAMQVE DOCTORALEM

APPLAVDENTIBVS FRIDERICIANAE ALVMNIS
LEGITIME REPORTANTI
IN HALENSIVM MVSARVM CONSORTIO
GRATVLATVS
FAVSTA FORTVNATAQVE OMNIA
EX ANIMO PRECATVR

IO. LVDOV. ALBRECHT FLEISCHMANN

WETZLARIENSIS
MEDIC. CVLTOR OPPONENS.

Illuxit nobis tandem, GENEROSE HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATE, feſtiuus ille dies, quo alma mater FRIDERICIANA *parnaſſia* fronde TE muſarum corona circumſeptum exornare parat, TVAque lauro tempora cingere geſtit. Nulli autem tantos, pridem promeritos, maiori cum lætitia a *Parnaſſi* noſtri TVTELARI DEA tributos auguror honores, quam TIBI. Quippe quoniam et primus, olim *Graecorum Parnaſſo* propriam arborem, *Fridericianae Parnaſſo* implantaſti ſpectatiſſimam; et editis prius

variis

variis non ſolummodo medicinam, verum etiam *graecae romanae*que antiquitatis reliquias, immo ſubinde etiam res patriae TVAE egregie illuſtrantibus, quae ſigillatim percenſere iam ſuperſedeo *), operibus, demum, rariſſimo parili exemplo, pleno, vt aiunt, gradu, *apollinari* laurea condecorandus FRIDERICIANAE, quam variorum ſpecimina publice ventilando toties cum plauſu exornaſti, tandem adſcendis cathedram. Quoniam vero perpetua fronde virente planta coronaria, qua medico operi nullam aptiorem tum haec noſtrae aetas tum ipſa antiquitas iudicauit, hodierno die celebrem hanc hilare exornas muſarum ſedem; ea propter non a me, aut aliis, TVAE hactenus fidei atque tutelae commiſſis, qui TE potiſſimum duce tam in humanioris doctrinae, quam in artis, cui litamus, opere longe feliciſſimos fecimus progreſſus, ſed viciſſim a FRIDERICIANA ipſa profectura, eaque magnifica hodie TE expectant dona, quae TIBI itidem ex lauro *Apollini* tantopere adamata atque ſacrata arbore iam conferri vides ampliſſima. Enimvero non ſaltem poetae lauro exornari ſolent; ſed etiam medicos, tanquam alteram *Apollinis* prolem, doctoris titulo inſigniendos, in laborum atque vigiliarum praemium, atque ſolemne doctoratus ſymbolum, ſaepe ſaepius *phoebea* laurea redimitos legimus. Quo profecto ritu cum in *Galliae* tum *Italiae* quibusdam locis, praeſertim autem in illuſtri *Baſilienſium* academia, pluribus lauro, perfectionis ſigno, coronatis Hygeae filiis ſummos in medicina honores collatos nouimus. Ne tamen ſolemnem hanc feſtiuitatem ſolus absque voto transegiſſe, TEque ſine tenerrima animi mei declaratione dimiſiſſe videar; hinc vel vno ſaltem verbo eruditioni virtubusque TVIS immarceſcibilis lauri perpetuitatem, TIBI vero omnigenam atque perennem fortunatiſſimarum rerum ex toto pectore opto affluentiam. Faxit aeternum NVMEN, vt feliciter exantlatis, adhuc in *Germania* perficiendis, laboribus, tandem bonis auibus ſoſpes amiciſſimam TIBI ſalutare valeas patriam, atque ita vberrimos, vel ſaltem doctrinis virtutibusque TVIS pares, olim TE reportaturum fructus ſpero, immo plane confido. Vale. Dabam in academ. regia Fridericiana d. xxx. Ianuarii cIↃ IↃ CCLI.

*) Vid. Index bibliothecae res Hungariae, Tranſiluaniae, vicinarumque prouinciarum illuſtrantis, quam celeb. MART. SCHMEIZEL inſtruxit, caet. p. 31. 39. 46. 47. 48.

'Ευφρα-

Εὐφραδέως περὶ τῆς δάφνης ἐριθηλέος ἤδη
λέξας παιδείας θέμενός τ' ἀριδείκετον ἔργον
οὔγε ἀλεξίκακος Παιήων, Πάλλας Ἀθήνη
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες σοι ἔνειμαν λῷστον ἔπαινον·
αὐτίκα τοῦ ἐν ἐμοὶ σπινθῆρας ἐέλδορος ἄπτεις
ἀνδράσιν οὐ μόνον ἡλικιώταις, ἐσσομένοις τε
δεῖγμα παραστῆσαι φιλότητος ἐνηέος ἡμῶν.
Κέντρον ὑπερμεγέθης θῆκαν ΚΥΔΙϹΤΕ φέριστον
ἢ σέο ἐντελέος διδαχῆς ΑΓΝΕΘΛΕΡΕ τέρψις
ἣ καὶ ἐμοῦ εὐγνωμοσύνη ἐν στήθεσιν ἄρχει.
Ἀθενέων πληροῦν ἔργῳ εὐεργεσιάων
σοῦγε ἀμετρίαν, ἐκτίω χάριν ἣ θέμις αὐτῶν
ἃς βλοσυροί τε καὶ ἄπλητοι Κῆρες γενετῆρος
τμήγει ὡς ἀφέλοντο βίον φεῦ δακρυόεντι
σχέτλιον εἰς ἐμὲ, τοὺς δὲ κασιγνήτους θαμὰ ῥέζεις.
Ἀλλὰ παραστῆναι πόρρω νόος ὅσσα κελεύει
λήγων, σοὶ κορυφὴν Παρνάσσου εἰσαναβάντι
δαφνίδος, ἣν περὶ τοῖς κροτάφοις Ἀισκλήπιος ἔρει
συγχαίρω; ἀλλ' ὡς παῦρον σὺ ἐπὶ χρόνον ἡμῶν
δαφνοφόρος βηλῶν ἄψῃ εἰς δώματα βαίνων
πατρώων τε θεῶν, ἀγαθῷ σὺν δαίμονι βῆθι
ὄλβιος οἰκείους ἀσπάζου, μήποτε ἄχθος
τέρψιν ἔχων ΚΥΔΙϹΤΕ νοήσῃς αἰεναοῦσαν,
μνησάμενος καὶ ἐμοῦ ΑΓΝΕΘΛΕΡΕ πάντοτε χαῖρε.

GENEROSO ATQVE CLARISSIMO ART. LIBERAL. ET PHILOS. MAGISTRO FAVTORI SVO OPTIMO, lauream doctoralem pro merito capeſſenti, marcido hoc carmine accinit

IO. LVDOV. SCHVLZE,
IO. HENR. FIL.